This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

LhD
293.10

Lh9.293.10

HARVARD COLLEGE
LIBRARY

FROM THE LIBRARY OF
ALBERT ANDREW HOWARD
POPE PROFESSOR OF LATIN

THE GIFT OF HIS SON
HERMANN HAGEN HOWARD
Class of 1916

RECEIVED OCTOBER 15, 1929

QUID VERE ROMANUM

LYRICIS HORATII

CARMINIBUS INSIT

HANC THESIM

FACULTATI LITTERARUM GRATIANOPOLITANÆ

proponebat

ANDREAS DEVAUX

IN EADEM FACULTATE LICENTIATUS

LUGDUNI

APUD E. VITTE, BIBLIOPOLAM

3, Platea dicta Bellecour, 3

—

1892



QUID VERE ROMANUM

LYRICIS HORATII

CARMINIBUS INSIT

HANC THESIM

FACULTATI LITTERARUM GRATIANOPOLITANÆ

Perspectabit

ANDREAS DEVAUX

IN EADEM FACULTATE LICENTIATUS

LUGDUNI

APUD E. VITTE, BIBLIOPOLAM

3, Platea dicta Bellecour, 3

1892

QUID VERE ROMANUM

LYRICIS HORATII

CARMINIBUS INSIT

LYON. — IMP. E. VITTE, RUE CONDÉ, 30.

QUID VERE ROMANUM

LYRICIS HORATII

CARMINIBUS INSIT

HANC THESIM

FACULTATI LITTERARUM GRATIANOPOLITANÆ

Proponebat

ANDREAS DEVAUX

IN EADEM FACULTATE LICENTIATUS

LUGDUNI

APUD E. VITTE, BIBLIOPOLAM

3, Platea dicta Bellecour, 3

—

1892

Lh 9.293.10

HARVARD COLLEGE LIBRARY
FROM THE LIBRARY OF
ALBERT ANDREW HOWARD
NOVEMBER 24, 1925

MAGISTRO MEO

EUGENIO FIALON

IN FACULTATE LITTERARUM GRATIANOPOLITANA

OLIM PROFESSORI

ACCEPTÆ DISCIPLINÆ MEMOR

HOC OPUSCULUM

D. D. D.

PROOEMIUM

MATERIA ET ORDO HUJUS DISPUTATIONIS

Non est quod moneam, si quis exquirat quid in græco aliquo poeta græcum inesse videatur, eum supervacaneam disceptationem esse suscepturum. Namque Græcorum ingenium, cum ad ceteras artes, tum ad poeticam mira quadam et peculiari felicitate natum, nunquam externæ opis indiguit ut carmina conderet; siquidem patrio solo quasi exorta, propriisque sucis perpetuo innutrita, perfectissima illa exstitit poesis, longo sæculorum ordine varia exquisitissimæ artis opera proferens, quæ, ut nihil aliis populis debuerant, ita cunctis ad imitandum exempla præberent.

Longe alia fuisse latinæ poesis fata adeo constat, ut minime inanem futuram esse operam arbitrer, si quæratur quomodo romanus aliquis poeta in scribendo romanæ paruerit indoli, alienæ servierit. Quod quidem sæpius in plurimis factitatum multum contulit ad rectam de Romanorum re litteraria æstimationem. Ut præcipua tantum nomina attingam, ex instituta illa cum græcis

exemplaribus comparatione verius hodie judicatur quatenus Plautus (1), Terentius (2), Catullus (3), Lucretius (4) et Vergilius (5) romanum expresserint ingenium.

Ad Horatium vero quod attinet, apud quem in lyricis præsertim carminibus mirum quoddam effici græci spiritus cum romana indole quasi conubium jampridem animadverterunt critici, vix fieri poterat quin studiosius investigarent qua diligentia ad romanos mores Græcorum artem accommodasset. Verumtamen ex innumeris in Horatii carmina collatis studiis (6) potius patere conten-

(1) FRITZSCHE, *De græcis fontibus Plauti* (1845). — G. BOISSIER, *Quomodo græcos poetas Plautus transtulerit* (Paris, 1857). — DUBIEF, *Qualis fuerit familia romana tempore Plauti ex ejus fabulis* (Molin. 1859). — BENOIST, *De personis muliebribus apud Plautum* (Massil., 1872). — CHALANDON, *De servis apud Plautum* (Lugd., 1875), etc.

(2) KŒNIGHOFF, *De ratione quam Terentius in fabulis græcis latine convertendis secutus est* (Colon., 1843). — SCHRŒDER, *De romanis moribus fabulæ palliatæ immixtis* (Marienweder, 1853), etc.

(3) SCHULZE, *De Catullo Græcorum imitatore* (Jenæ, 1871). — COUAT, *Etude sur Catulle* (Paris, 1874).

(4) MARTHA, *Le poème de Lucrèce* (Paris, 1869).— WOLTJER, *De Lucretii philosophia cum fontibus comparata* (Groningæ, 1877), etc.

(5) EICHHOFF, *Etudes grecques sur Virgile* (Paris, 1825). — GEBAUER, *De poetarum bucolicorum Græcorum imprimis Theocriti carminibus à Vergilio expressis* (Lips. 1861). — KNOCHE, *Vergiliusquæ græca exempla secutus sit in Georgicis* (Lips. 1877). — MARSCH, *De græcis auctoribus in Georgicis a Vergilio expressis* (Halis, 1878). — LERSCH, *Antiquitates Vergilianæ ad vitam populi romani descriptæ* (Bonn, 1843). — BOUGOT, *De morum indole in Virgilii Æneide* (Paris. 1876) — COLLILIEUX, *La couleur locale dans l'Enéide* (Grenoble, 1880).

(6) WENSCH, *De Horatii Græcos imitandi studio* (Vitebergæ, 1829). — ARNOLD, *Quæst. de Horatio Græcorum imitatore* (Hal., 1845). — GARCKE, *Horatii Carminum librum I collatione Græcorum illustravit* (Hal., 1860), etc.

derim quid Græcorum imitationi, quam quid Romanorum ingenio debuerit, tanquam in Horatio potius Græcorum discipulus quam romanus poeta quærendus fuisset. Non equidem diffiteor apud eos, quotquot sunt, qui Horatii poesim lyricam dedita opera vel in transcursu ad calculos vocaverunt, multa reperiri quæ in romanam poetæ indolem conveniant; nemini tamen, quod sciam, illud in mentem venit, sparsa in horatianis carminibus latini vultus lineamenta, sparsos latinæ germanitatis colores in unum colligere, unde romana lyrici poetæ indoles exsisteret (1). Quocirca mihi visum est, — recte an perperam, dixerint sapientes, — neque injucundum, neque inutile futurum esse, si, perpensis Horatii lyricis carminibus, retractatisque eruditorum virorum de Horatio scriptis vel scriptiunculis, decernere conatus fuerim quatenus in poeta, quem identidem græcum fidicinem latina lingua canentem dicas, romanum se prodat ingenium. Horatius quidem semet ipse Romanæ fidicinèm lyræ profitetur (2), alii vero non pauci eum injurioso prorsus nomine Græcorum simiam vocant (3). Quid ergo? Utrum poeta promissis non stetit, an docti viri turpiter erraverunt?

(1) Materiam hujus disputationis quodam modo delineavit vir de litteris latinis optime meritus E. Benoist, in prælectione de Horatio in Sorbona habita *(Revue politique et littéraire*, 1875, p. 719).

(2) *Carm.* IV, 3, 23.

(3) H. STEPHANUS, *Ad Anacreont.*, p. 267, ed. Fisch. — Cf. MURET, *Var. lect.* lib. IV, cap. IX : « Utinam exstarent veterum illorum lyricorum poemata : non dubito quin propemodum omnia ornamenta, quibus Horatius splendet, ab eis corrogata esse constaret. »

CAPUT I

QUID HORATIUS IN LYRICIS CARMINIBUS GRÆCIS DEBUERIT

I. Quare Græcos, vel in lyrica poesi, imitetur. — II. Quosnam potissimum sequatur. — III. Qua ratione, quidque mutuetur. — IV. Doctrinam græcam de diis. — V. Ornatus orationis. — VI. Metra lyrica.

I. Quare vel in lyrica poesi, cujus ea natura est ut parum ponderis habeat, nisi præsentium temporum reddat quasi verissimam imaginem, Horatius ad aliena exempla confugerit, haud multo opere assequemur, si menti obversetur cum romanæ poesis indoles et condicio, tum proprium nostri poetæ ingénium. Ex universa romanarum litterarum historia satis constat eos fuisse Romanos qui potius arte et doctrina quam ingenio poesim excolerent, adeo ut, nisi Græcorum exemplo allecti et vestigiis quasi ducti essent, vix ad Musarum artes accessuri fuissent. Domanda fuit ferox indoles, flectendus latini sermonis rigor, ediscenda græcorum metrorum concinnitas, priusquam propriis viribus fidentes, laxatis ingenio habenis, liberius in argumentis domesticis exspatiarentur. Ac ne ipsis quidem Augusti temporibus adeo expo-

lita erat romana poesis, ut sine damno posset Græcorum jugum excutere; quantum enim ad solutam orationem perficiendam animos acuerat forensis libertas atque ambitiosum rei publicæ capessendæ studium, tantum a sermonis poetici munditiis removerat; ideoque apud Romanos acciderat, contra ac ferre natura videtur, ut, Cicerone vigente, omnes perfectionis numeros soluta oratio absolveret, poetica vero permulta etiamtum desideraret (1). Cum igitur Augustus *pacasset eloquentiam*, poetæ Musis vacandi copiam nacti, poesim diligentius elaborare vix aliter potuerunt quam si a Græcis ut olim exempla peterent. Hinc est quod Horatius tam acriter civibus suis auctor est, ut exemplaria græca nocturna diurnaque manu versare assuescant (2).

Si minus in Sermonibus, maxime saltem in lyricis carminibus pangendis necessariam esse illam Græcorum imitationem proprio didicerat periculo. Cum enim in immenso litterarum campo nihil fere ad excolendum sibi relictum esse præter lyricæ poesis angulum cerneret, lyricam laudem præ ceteris appetebat. Parum gloriæ sibi apud posteros partum iri arbitrabatur si Lucilianam satiram, utpote sermoni propiorem, perficere satis haberet (3); volebat dicere adhuc indictum ore alio (4); volebat princeps æolium carmen ad Italos deducere modos (5); collectisque in unum volumen carminum

(1) Cf. PETSCHAR, *De Hor. poesi lyrica*, pars. I, p. 2 (Teschen, 1880).
(2) *Art. p.* 268.
(3) *Sat.* I, 4, 39 seqq.
(4) *Carm.* III, 25, 7.
(5) *Carm.* III, 30, 10.

primitiis, ardenti studio a Mæcenate lyrici vatis nomen expostulabat (1). Qui autem optime nosset quo proprium valeret ingenium, fatebatur quidem sibi non deesse spiritum graiæ tenuem camenæ (2), ingenii benignam venam (3), qua lyricam laudem aliquam affectare fas sibi esse duceret ; sed tenuiorem eum spiritum putabat, quam qui propriis viribus in sublimitatem lyricæ poesis eveheretur. Vim insitam sibi adesse sentit, sed doctrina promovendam. Quamobrem Pindarum æmulari non ausus, « Dircæum illum cycnum, qui in altos nubium tractus tendit semper, ipse, apis Matinæ more modoque, per laborem plurimum operosa parvus carmina fingit » (4). Probe nos monuit ne se inter eos lyricos recenseremus qui natura et ingenio potissimum valent, sed inter illos qui judicii elegantia atque artis vigore aliorum vires cum suis ita conjunxerunt ut vel in imitando sui juris essent.

II. Quosnam igitur sibi in exemplum assumet Horatius? Ut erant Romani et morum et temporum ratione Alexandrinis poetis quasi finitimi, inde a Cæsaris temporibus Romæ exstiterat poetarum schola quædam, quos τοὺς νεωτέρους Cicero dicit (5), quique in eo toti fuerunt ut Alexandrinorum subtilem doctrinam operosamque artem in romanis poematis assequerentur. Quæ quidem exemplaria haud inepte eligi potuerunt, cum litteræ romanæ vix primis incunabulis egressæ quam maxime artis dili-

(1) *Carm.* I, 1, 35.
(2) *Carm.* II, 16, 38.
(3) *Carm.* II, 18, 9.
(4) *Carm.* IV, 2, 25 seqq.
(5) *Ep. ad Att.*, VII, 2, 1.

gentiam desiderarent (1). Perspexit autem Horatius, qua erat judicii sagacitate, Alexandrinos vix amplius quicquam habere quod Romanorum litteris perpoliendis conferrent, sollicitamque eorum imitationem facile in nugas artificiosas abituram. Igitur ab Alexandrinis exemplaribus deflectendum esse censuit ad antiquiora exemplaria, a derivatis rivulis ad primos græcarum artium fontes, ratus scilicet « optima esse Graiorum scripta quæque antiquissima » (2). Non quo tamen præclarissimos Alexandrinorum poetas alto supercilio fastidierit, cum aliquot locis Callimachi (3), Apollonii (4) et Theocriti (5) procul dubio meminerit; sed ea sunt talis imitationis vestigia ut manifesto appareat illos ab Horatio satis perlustratos fuisse sed consulto antiquioribus postpositos.

Cum opus lyricum, velut cetera cujuslibet generis, duabus potissimum rebus contineatur, doctrina et arte, ita ut sententiæ recte dispositæ apta elocutione proferantur, eos sibi auctores præ aliis assumpsit qui amplissimam doctrinæ materiam vel perfectissimam lyricæ poesis artem suppeditarent; ab illis sententias, ab his operis leges, ab utrisque dicendi lepores mutuatus est (6).

(1) Cf. Couat, *Et. sur Catulle*, l. II, ch. 1.
(2) *Epist.* II, 1, 28.
(3) *Carm.* I, 3, 1; 36, 14, etc.
(4) *Carm.* I, 24, 2.
(5) *Carm.* I, 12, 30; IV, 8, 32 seqq.
(6) Qui fuerint omnes Horatio græcitatis fontes, non sinunt hujus dissertationis angustiæ plenius aperire; sat erit præcipuos attigisse. Consulantur ea de re Th. Arnold, *De Horatio Græcorum imitatore* (Halis, 1846), et præsertim Garke, *op. cit.*, cui, in hac

Quod si Horatio, ut omnibus harum rerum peritis judicibus, persuasissimum erat Mæonium vatem priores inter poetas sedes tenere (1), adeo doctrina affluere ut melius ac planius Chrysippo et Crantore quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non, edisserat (2), eaque arte pollere ut nil inepte dicat (3), non miraberis quod ita Homerum lectitaverit ut penitus ebibisse videatur. Homericæ imitationis vestigia in plurimis Horatii carminibus impressa facile indagaveris ; hic personæ ab Homero descriptæ inducuntur (4), illic homerica dicendi et describendi ratio cernitur ; quin immo sunt poematia quæ tota dicas ab uberrimis Mæonidæ fontibus profluxisse (5).

Tragicos non neglexit, ut qui sollertissimam Homeri imitationem exhiberent, et homericis opibus suas addidissent. Cum vero Euripides ob ingenium et mores maxime omnium Romanis semper in deliciis fuisset, huic se dedidit, hunc in suum usum libenter convertit. Nonnulla Sophocli debuit (6), plura Æschylo (7), plurima vero Euripidi (8).

quæstione, multa me debere libentissime fateor. Utinam opus inchoatum absolvisset !

(1) *Carm.* IV, 9, 5.

(2) *Epist.* I, 2, init.

(3) *Art., p.* 140.

(4) *Carm.* I, 6, 6 seqq. ; 10, 13 ; II, 9, 13 ; III, 3, 17 seqq.

(5) *Carm.* I, 15 ; IV, 6.

(6) *Carm.* IV, 13, 8.

(7) *Carm.* I, 3, 18 ; 28, 30 ; — 35, 11 ; III, 4, 32 (GARKE, *op. c.* p. XXIV).

(8) Vide apud GARKE, *op. c.* p. XIV, omnia quæ congessit euripideæ imitationis exempla. « Nam, inquit, ex hujus potissimum fabulis personas scenicas et exempla petit ad præcepta sua firmanda, et primarias carminum sententias ab eodem mutuatur. »

Mitto elegiacos, Solonem, Theognidem, Mimnermum, Simonidem Ceum, Callinum et Tyrtæum, quos Horatio satis cognitos fuisse dubitari nequit, etsi minus in carminibus adhibitos (1).

Superest ut materiam legendo comparatam artificiosa lyricæ poesis forma induat; quam ita elegit ut nulla propriæ indoli Romanorumque ingenio concineret magis. Reversus a philippensibus castris, aliam militiam inierat; cum cerneret mores in dies corrumpi, patriamque bellis civilibus dilacerari, in civium errores satiricis carminibus invehi cœperat. Mox vero usus est Musa, ut ita dicam, magis bellatrice, et a satiris ad illos, quos vocant, Epodos transiit. Ut adulescentis fervori ita Romanorum furoribus congruebat notissima archilochii carminis acerbitas; indignatio romanum Archilochum fecit. Huc adde quod metra dactylicis et iambicis numeris temperata et ad imitandum faciliora apparebant, et ad vibrandum satiræ telum aptiora (2).

Epodi, licet brevi confinio satiras contingerent, lyricum vatem nuntiabant. Quos vero lyricæ artis magistros adhibebit? Æolos an Doricos? Graves quidem Stesichori camenæ (3), Alcmanis robur, sublimisque Pindari majestas elatis Romanorum animis satis respondere videbantur; neque ab iis studiosius legendis abstinuit Horatius, quibus sententiarum gravitatem atque eloquendi colorem nonnunquam debuit. Noluit tamen a

(1) Memorat Ceas nenias, *Carm.* II, 1, 38; Mimnermi amatoria carmina, *Epist.* I, 6, 65; Tyrtæum imitatur, *Carm.* III, 2, 13; Solonem, *Epist.* I, 12, 5.

(2) Cf. ARNOLD, *op. c.*, p. 5.

(3) *Carm.* IV, 9, 8.

Doricis carminum leges totiusque operis formam sumere. Sentiebat enim, pro suo judicii acumine, poesim choricam a græcis moribus, græcis religionibus, græco cælo ita pendere ut translata ad Romanos, quemadmodum planta suo solo avulsa, revirescere nunquam posset. Præterea Doricorum metra, tractatu difficiliora, neque rudioribus Romanorum camenis neque asperiori linguæ satis accommodata erant; quid quod candide profitebatur sibi deesse spiritus illos grandes qui continuatæ Doricorum sublimitati pares essent?

Quapropter ad melicam poesim se convertit imitandam, quæ stropharum mediocritate (1) tenui ipsius camenæ, simpliciori metrorum structura latii sermonis asperitati, et argumentorum varietate, quæ sæpe non tam græca quam humana sunt, alienigenis populis sola congruere videbatur. Eadem via præiverat Catullus, qui nonnulla Sapphus carmina civitate romana donaverat. Multa ipse a Sapphone (2), multa quoque ab Anacreonte (3) desumpsit. Sed cum Alcæus in primis Horatio moribus et varia vitæ fortuna simillimus exstitisset, cumque idem « in eloquendo brevis et magnificus, et diligens, et plerumque Homero similis; sed in lusus et amores *descendens*, majoribus tamen aptior » (4), aureo plectro plenius sonaret (5), illum velut præcipuum exem-

(1) Dion. Halic., *de Struct. or.* p. 262, ed. Schœf. « Οἱ μὲν οὖν ἀρχαῖοι μελοποιοί — λέγω δὲ Ἀλκαῖόντε καὶ Σαπφώ — μικρὰς ἐποιοῦντο στροφάς, ὥστε ἐν ὀλίγοις τοῖς κώλοις οὐ πολλὰς εἰσῆγον τὰς μεταβολάς, ἐπωδοῖς τε πάνυ ἐχρῶντο ὀλίγαις. »

(2) *Carm.* I, 12, 46; 13, 5; III, 12, 4.

(3) *Carm.* I, 23, 1; 27, 1; II, 5, 1; III, 11, 7.

(4) Quint. *Inst. or.* X, I, 63.

(5) *Carm.* II, 13, 26 seqq.

plar sibi Venusinus proposuit, illum Latinis adhuc intactum apud Romanos vulgavit (1). Ita quidem ab Alcæo se pendere profitetur, ut suam lyram Lesboum barbyton (2), sua poemata æolium carmen (3) palam vocare non vereatur. Haud temere suspiceris nihil ipsi magis in votis fuisse, quam ut romanus Alcæus diceretur (4).

III. Jam vero ad id pervenimus ut quærendum esse videatur quam imitandi rationem adhibuerit, utrum adeo servilem ut in multis carminibus poetæ Lesbii audiantur, an ita liberalem ut in iisdem vere romanus fidicen permanserit. Non defuerunt qui, cum viderent aliquam stropham satis fideliter ex Alcæo vel alio sumptam, nonnulla Horatii carmina arbitrarentur ad verbum e Græcis expressa, quemadmodum Catullus notissimum Sapphus odarion vertisset (5). Quibus criticis si fidem habeas, Horatius, sive propriis pennis parum fidebat, sive sermonem latinum horridiorem adhuc emollire et ad græcæ orationis facilitatem adducere volebat, lyricis ad verbum vertendis suarum virium primum periculum fecit, donec liberius exemplaria imitaretur, et ad argumenta plane romana tandem evolaret. Nemini unquam,

(1) *Epist.* I, 19, 33.
(2) *Carm.* I, 1, 34; 32, 4.
(3) *Carm.* IV, 3, 12.
(4) Alcæum præcipue imitatur, *Carm.* I, 9; 14; 18; 37.
(5) Ita censuerunt, inter alios, *Th.* ARNOLD, *op. c.* p. 5 : « Integra Græcorum argumenta reddere cœpit, mutans fere, si quid aut abhorreret ab ingenio linguæ latinæ, aut æqualium judiciis minus probaretur, aut ipsi poetæ displiceret; » — *David* JANI, *Hor. Carmina*, Lips. 1809, t. I, p. CVIII; — MITSCHERLICH, *Hor. opera*, Lips. 1800, t. I. p. XII; — ESTRÉ, *Prosopogr. Horatiana*, Amstel. 1846, p. 524.

quod sciam, dubium fuit quin horatiana carmina variam imitandi rationem, et profectum quendam a pressiori imitatione ad integram scribendi libertatem gradatim assurgentem denuntient; sed imitationis hujus initiis Horatium nihil aliud quam meram græcorum poematum translationem prodidisse, nulla satis probabilis ratio evincere potest, immo multa refragari videntur. Quid ipse de ingenua imitatione præceperit (1), quid de servili judicaverit (2), quam acriter illi bilem moverit imitatorum servum pecus (3), si paululum animo reputaveris, non facile credes, opinor, unquam illum meruisse ut in istam imitatorum turbam, quasi cornicula furtivis nudata coloribus (4), truderetur. Verum enim in eadem illa Epistula (5), qua stolidos imitatores tam vehementer exagitat, non sine generosa quadam superbia anxiæ exemplarium superstitioni liberalem suam imitandi consuetudinem opponit. Cum Archilochum latini juris fecit, non res et verba reddidit; satis habuit numeros animosque, modos et carminis artem retinere, quibus plerumque argumenta romana explicaret. Nihil ibi jactantius ab Horatio prædicari fidem faciunt Archilochi fragmenta, ex quibus ne versum quidem excerpere possis qui satis ad epodos horatianos quadrare videatur. Statim vero illud subjungit, quod nimis a quibusdam interpretibus neglectum rei in quæstionem vocatæ haud parum lucis addit : hunc, ait, scilicet Alcæum,

(1) *Art. p.* 131-135.
(2) *Epist.* 1, 3, 15-20.
(3) *Epist.* 1, 19, 19.
(4) *Epist.* 1, 3, 20.
(5) *Epist.* 1, 19, 21 seqq.

Hunc ego, non alio dictum prius ore, Latinus
Vulgavi fidicen ;

eadem, credo, aut simili prorsus ratione atque Archilochum : quod ni esset, in Horatium recideret quicquid in imperitos imitatores jocatur. Prima ejus carmina exercitationis loco habeantur, id libenter concesserim ; sed ne ea quidem Græcorum vestigiis serviliter incedere fatendum est, cum homericam imitationem sæpius præ se ferant.

Quanquam parum proposito nostro hujusmodi carmina officiunt, vel si ad verbum translata credas, cum adeo pauca numero inveniantur, ut horatianæ poesis prima rudimenta, non consuetudinem exhibeant. Quibus demptis, duplex carminum genus, quod ad præsentem quæstionem spectat, institui potest : unum, quo Græcorum fragmenta quædam produntur ad verbum ferme expressa ; alterum, quo argumenta romana nulla hujusmodi imitatione admixta continentur. Utinam poeta ipse carmina quæque collegisset pro varia imitationis ratione, aut saltem servato temporis ordine, neque crucem illam criticis reliquisset ! Tametsi in ecloga carminum disponenda id tantum spectavit ut legentes argumentorum vel metrorum exquisitissima varietate oblectaret, in universum statui potest priorem carminum rationem in primo libro sæpissime, in secundo sæpe, in tertio nonnunquam cerni, posteriorem, ut nullo exsulare, ita in tertio sæpius, in quarto potissimum apparere. In illis, ut dictum est, græcas sententias intexuit, quæ cum Græcorum lyricorum fragmentis collatæ, fidelissimam exemplarium imaginem referunt. Inde tamen non fit, ut carmen dicendum sit totum

colorem e Græcis traxisse, nec quicquam romanum retinere: immo sæpissime in argumenta prorsus romana hujusmodi imitatio cadit. Unum aut alterum exemplum proferre libet. Nuntius Romam perlatus est interisse Cleopatram quæ Urbi perniciem minata esset; quomodo poeta publicam Romanorum lætitiam carmine assequetur ? Cum inter Alcæi opera poematium reperiret similis admodum argumenti, de Myrsili tyranni interitu, ab eo exordium notissimum iisdem fere verbis mutuatus est :

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulşanda tellus (1).

Sed in his stat imitatio; dapes Saliares nos a Græcia Romam reducunt, nec amplius quicquam græcum sonat. Cum ad amicum scribit :

Nullam, Vare, sacra vite prius severis arborem (2).

Alcæum audis, in Lesbiis collibus versari videris ; tamen error tollitur, ubi italico cælo refulgere cernis

... Mite solum Tiburis et mœnia Catili.

Alcaicum est illud :

Dissolve frigus ligna super foco
Large reponens... (3)

(1) *Carm.* 1, 37, 1. Cf. *Alcæi frag.* ed. Schneidewin, p. 268.
Νῦν χρὴ μεθύσθην καί τινα πρὸς θίασον
Πίνειν, ἐπειδὴ κάτθανε Μύρσιλος.
Alit. leg.
...καὶ χθίνα πρὸς θίασον
Παίην.

(2) *Carm.* 1, 18. 1, cf. *Alc. fragm. op. c.* p. 277.
Μηθὲν ἄλλο φυτεύσης πρότερον δένδρεον ἀμπέλω.

(3) *Carm.* 1, 9, 5, cf. *Alc. fragm. op. c.*, p. 273.
Καὶθέβαλλε τὸν χειμῶν'ἐπὶ μὲν ηυθεὶς
Πῦρ...

sed ante legentis oculos assurgit Soracte nive candidum, in mensa reponitur sabina diòta. Multa alia sunt ejusmodi carmina quæ poeta exorditur ab insigni quadam sententia, ut ab Alcæo, ita a Sapphone, Pindaro vel aliis desumpta, unde ad res præsentes et romanas transeat (1). Jam vero quorsum pertinuit mos ille carminum initia a lyricis Græcis repetendi ? Si quidem integram aliquam sententiam ad verbum refert, non est quod Horatio deesse illum ingenii vigorem dicamus, quo aliorum naturam imitans, suam servet ; satis ingenue exemplaria tractare potuit, qui Sapphus celeberrimam stropham de amantium doloribus ita expressit ut vix verborum similitudinem deprehendere liceat (2). Alii dicunt id Horatio propositum fuisse, ut græcis illis sententiis suam artem comprobaret Mæcenati « docto sermones utriusque linguæ » (3); alii voluisse eum ostendere quam perite græco stamini romanum subtemen intexeret (4). Quicquid id est, libenter crediderim Horatium, cum carmen aggrederetur, diligenter exemplar meditatum, egregiam ab eo petisse sententiam unde spiritus conciperetur, animus incalesceret, impetusque sumeretur ad scribendum. Quid enim sunt ista exordia, nisi prolusiones ? Nonne Pindarus præceperat, ut operi frons præstrueretur quæ late splenderet ? (5).

(1) *Carm.* I, 1, 3, 9, 12, 14, 19, 23, 30, 31, 32, 34; — II, 1, 2, 3, 18, 20; — III, 1, 2, 4, 6, 11, 12, 18, 25, 30; — IV, 3, 7, 8.

(2) *Carm.* I, 13, 5.

(3) *Carm.* III, 8, 5.

(4) Cf. GARKE, *op. c.* passim; cf. MURET, *Var. lect.*, lib. II, cap. XII : « Sæpe monui solitum Horatium, inspergenda scriptis suis græcitate, salem eis ac venerem quærere. »

(5) *Olymp.* IV, Σ. α' « Ἀρχομένου δ' ἔργου πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγές.

Neque vero mihi omittendum est multa inveniri carmina, in quibus non exordium quidem græco fonte manavit, sed nobilis quædam sententia qua totius carminis anima, ut ita dicam, contineri videtur. Modo in clausula, modo in media parte collocatam eam vides, velut pretiosissimam gemmam sollerter intextam, unde in totum opus decor et lumen perfundatur.

Præter eas sententias quas ex fragmentorum lyricorum collatione novimus e Græcis ad verbum prope expressas, innumera alia sunt in universo Horatii opere lyrico, quæ ex diligenti litterarum græcarum studio fluxisse facile deprehendas; doctrinam dico ad theologiam, philosophiam, vel veteres fabulas spectantem, varios elocutionis poeticæ ornatus, modos et carminis artem. De horatiana philosophia fusius postea disquiretur; cetera nunc breviter absolvam, ne longius a proposito aberrare videar.

IV. Cum, Horatii carminibus perlustratis, animo tecum reputas quosnam deos potissimum et quibus coloribus depinxerit, primum vehementer miraris quod parum de vetustissimis et vere patriis Romanorum diis, plurimum vero de græcis curasse videatur. Minus certe, ut par erat, quam Vergilius Ovidiusque ad antiqua Romæ et Italiæ numina, ad avitas religiones provocat; in græcum Olympum admissum te credas, potius quam in Capitolina templa. Sensim vero admiratio minuitur, cum in causas inquiris cur apud Horatium patrii dii in speciem neglegantur : quas quidem causas haud difficulter reperies, modo ad horatiani operis propositum præsentemque romanarum religionum condicionem respicias. Lyricus vates est, et, cum deos canit, oportet iis imaginibus induantur, iis coloribus depingantur qui divinæ

majestati lyricæque sublimitati quam maxime congruant. Cum autem Italorum numina, minus per se ad poeticam dignitatem idonea, minus etiam carminibus tractata apud superiores reperiret, quidni ad Græcorum opera confugeret, quæ luculentissimam divinarum rerum materiam, theologiamque maxime omnium arti lyricæ accommodatam exhiberent? Hinc factum est ut in Sermonibus, qui minorem poetici ornatus copiam desiderarent, ubi deorum mentio injicienda fuit, latina potius quam græca numina expresserit. Ceterum, ne tunc quidem, cum de diis græco more loquitur, longius a Romanorum institutis evagari Horatium pronuntiabimus, si rem ex vero, non ex specie æstimare studeamus. Cum enim inter græca et romana numina magna intercederet affinitas, major etiam quam suspicari possent illi populi communis originis obliti, quoad longissime potest mens respicere romanæ historiæ initia, statim atque ab illis exerceri cœptum est cum græcis gentibus commercium, græcos deos videmus Romam adscitos tanquam in templa sibi facta. Qui antea ignoti Romæ fuerant, græcum nomen servavere; qui vero pares paribus occurrebant, ita in unum singuli cum singulis coaluere, ut, romano nomine servato, græcæ de eo fabulæ invalescerent: priores romanis religionibus legitimum quoddam supplementum, posteriores poetica commenta diis domesticis afferebant. Res eo pertinuit, ut inde a secundo punico bello triplex apud Romanos vigeret Deorum genus, videlicet romanorum, græcorum, et eorum qui romano nomine græcam naturam tegebant. Antiquitus inchoatam illam duarum religionum confusionem litteræ græcæ Romam introductæ mox absolverunt. Cum Augustus nova tem-

pla exstruit, ea potissimum diis græcis, Veneri Genetrici et Apollini Palatino dedicat. Horatius igitur Romanum agebat, vel cum a græcis poetis imagines illas sumeret quibus deos romanis cærimoniis cultos adumbraret.

Plurimi dii apud Horatium tales prorsus inveniuntur quales ingeniosa ad comminiscendum Græcia informaverat. Jupiter, quanquam a primis inde Romæ incunabulis in Capitolio colitur (1), græcis fabulis ornatus dicam an infamatus procedit, amores illos ostentans quos ipsi cum Latona (2), Danae (3), Europe (4) et Ganymede (5) Græci finxerunt. Minerva, intellegentiæ olim dea, ut testatur nomen a *mentis* radice ductum, in Sermonibus antiquiorem naturam servavit (6); in lyricis vero carminibus adeo cum Attica Pallade cohæsit, ut nihil nisi bellicum præ se ferat (7). Quid de Apolline dicam, quem constat Græcia oriundum, sedem vacuam Romæ occupasse? (8) Nihil mirum si in eo effingendo totus a Græcis pendeat Horatius. Mercurius olim præcipue mercimoniis præsidere credebatur, qualis etiam a Plauto in scænam inductus est (9); apud Horatium

(1) *Carm.* III, 5, 12; IV, 15, 6; cf. T. Liv. I, 38.
(2) *Carm.* I, 21, 3.
(3) *Carm.* III, 16.
(4) *Carm.* III, 27.
(5) *Carm.* IV, 4, 4.
(6) *Sat.* II, 2, 3 : « Abnormis sapiens crassaque Minerva. » — *Art. p.* 385 : « Tu nihil invita dices faciesve Minervâ. »
(7) *Carm.* I, 6, 15; 7, 5; 15, 11; III, 4, 57.
(8) Cf. T. Liv. I, 56, ubi narratur filios Tarquinii Sup. Delphos ad Apollinis oraculum consulendum petisse; — XXV, 12, ubi narratur Romæ, anno U. C. 542, institutos ludos Apollinares.
(9) *Amphitr. Prolog.* 1 seqq. — Cf. Hor., *Sat.* II, 3, 25, 68.

Græcorum Ἑρμῆς est (1), Jovis nuntius, facundiæ repertor, imprimis amicus poetarum qui Mercuriales viri dicuntur (2), dux animarum in infernas sedes actarum (3). Græcæ Nereides Neptunum comitantur (4), græci Cyclopes in Ætnæ officinis Vulcano serviunt (5). Saturnus non jam sationibus præesse videtur; Liber quoque italicam naturam exuit, mysticis Græcorum fabulis in Bacchum mutatus (6). Quanquam Varro nomen Veneris sub regibus apud Romanos fuisse negabat (7), tamen hodie constat italicam Venerem exstitisse, Latini fœderis præsidem (8); brevi vero in Græcorum Ἀφροδίτην transiit, ita ut apud scriptores romanos discerni nequeat quid ad hanc, quid ad illam pertineat. Ab Horatio non exspectaveris ut in ea depingenda lætissimis Græcorum fabulis parcat : quicquid de Venere, de Cupidine et Gratiis cecinerunt, id suum fecit, Romanorum tamen memor, cum eam Erycinam vocavit (9), et Æneadum genetricem (10).

Non desunt dii, qui, quantumvis Græcorum commenta

(1) *Carm.* I, 10.
(2) *Carm.* II, 17, 29.
(3) *Carm.* I, 10, 17; 24, 18; III, 3, 13; 25, 1 seqq.
(4) *Carm.* III, 28, 10.
(5) *Carm.* I, 4, 8.
(6) *Carm.* I, 7, 3; 18, 11; II, 19, 1 seqq.
(7) MACROB., *Saturn.* I, 12.
(8) Cf. PRELLER, *Les Dieux de l'ancienne Rome* (éd. in-12), p. 265.
(9) *Carm.* I, 2, 33. — Veneri Erycinæ templum, post pugnam ad Trasumennum, erectum esse narrat T. Liv. XXII, 10 : « Veneri Erycinæ ædem Q. Fabius Maximus dictator vovit. » Cf. Ov. *Fast.* IV, 875.
(10) *Carm.* IV, 6, 21 ; Carm. Sæc. 50.

redoleant, aliquid ex priscis Latinorum religionibus retinuisse videantur. Juno, Jovis uxor et conjux (1), ex recepta apud Romanos opinione, Carthagini favere (2), et, quanquam invita, fatali Æneadum imperio concedere dicitur (3) : quæ quidem sententia satis recentem originem prodit, cum nihil aliud sit quam græca de Trojæ excidio fabula romanæ superbiæ attemperata. Verumtamen romana Juno agnoscitur percelebri illo Matronæ nomine (4), quod antiquam matrimonii sanctitudinem vetusque nuptarum patrocinium in memoriam revocat. Græcorum Ἄρης sub Marte plerumque latet (5); sed patrium Romanorum numen Martio campo nomen fecit (6), agrestisque Latii deus, etiamtum Arvalium fratrum carmine celebratus, a pascuis martiales lupos averruncat (7). Eleusinia mysteria in Cereris cultu apparent (8), sed non desiit, ut apud veteres Latinos, segetibus favere (9). Quid quod Faunus ipse, jampridem cum Lycæo Pane compositus (10), Latinorum tamen cærimoniis colitur ?

Vix dici potest quantum in effigie istorum omnium

(1) *Carm.* III, 3, 64.
(2) *Carm.* II, 1, 25.
(3) *Carm.* III, 3, 18 seqq.
(4) *Carm.* III, 4, 59 ; cf. Ov. *Fast.* VI, 33 :

« Si torus in pretio est, dicor Matrona Tonantis,
Junctaque Tarpejo sunt mea templa Jovi. »

(5) *Carm.* I, 6, 13 ; 17, 23 ; 28, 17 ; — II, 14, 13.
(6) *Carm.* III, 7, 26 ; IV, 1, 39.
(7) *Carm.* I, 17, 9.
(8) *Carm.* III, 2, 26.
(9) *Carm.* IV, 5, 18 ; *Carm. sæc.* 30 ; cf. *Sat.* II, 2, 124
(10) *Carm.* I, 17, 2 ; IV, 12, 11.

numinum informanda vel exornanda Horatius græcis poetis debuerit; neque solum ab iis fabulosam de diis doctrinam (1), sed clarissima etiam epitheta, præstantissimas imagines, celebratissimasque loquendi formulas, modo suavitate, modo sublimitate insignes mutuatur. Ne autem arbitreris nimium Græcorum theologiæ romanum poetam concessisse, reminiscaris oportet non omnino neglecta esse numina quæ Romanorum maxime propria habeantur. In lyricis enim carminibus interdum commemorantur Janus, custos pacis (2), Silvanus, tutor finium (3), Quirinus, inter Semones præstantissimus, civitatis ἐπώνυμος (4), Vesta publicæ salutis tutela (5), Lares et Penates, privatæ domus præstites (6). His adde virtutes quasdam numinum personis indutas quibus templa Romæ extructa erant, Honorem, Spem, Fidem et Pudorem (7); neque illam Antiatem Fortunam obliviscaris, quam coloribus vere latinis descripsit (8).

(1) *Carm.* I, 4, 11; III, 18.

(2) *Carm.* IV, 15, 9; cf. *Epist.* II, 1, 255; OVID. *Fast.* I, 90 :

« Nam tibi par nullum Græcia numen habet. »

(3) *Epod.* 2, 22, ; *Carm.* III, 29, 23; cf. *Epist.* II, 1, 143.

(4) *Carm.* I, 2, 46 ; III, 3, 15; IV, 15, 9; *Epod.* 16, 13.

(5) *Carm.* I, 2, 16; 28; III, 5, 11.

(6) Lares, *Carm.* III, 23, 4; IV, 5, 34; *Epod.* 2, 66. — Penates, *Carm.* II, 4, 15 ; III, 23, 19.

(7) Honorem, *Carm. sæc.*, 57; cf. T. Liv. XXVII, 25, secundum quem, Marcellus bello gallico ad Clastidium ædem Honori et Virtuti voverat, an. U. C. 546. — Spem, *Carm.* I, 35, 21 ; cf. T. Liv. II, 51 ; Spei templum Romæ jam exstabat ann. 279. — Fidem, *Carm.* I, 35, 21 ; cf. T. Liv. I, 21 ; Fidei publicæ Numa sollemne instituit. — Pudorem, *Carm.* I, 24, 6; *Carm. sæc.* 57; cf. T. Liv. X, 23 ; Pudori vel potius Pudicitiæ patriciæ sacellum erat in foro boario.

(8) *Carm.* I, 35; Cf. *Orelli*, ad. loc. ç.

V. A rebus ad verba si delabimur, non minus studiosum Græcorum imitatorem in Horatio agnoscimus. Summam enim, quod ad eloquendi artem pertinet, fuisse Venusino laudem, peritissimi omnium judices, nempe ipsius cives, consentiunt ; Petronius curiosam ejus felicitatem laudat (1), Fabiusque eum judicat verbis felicissime audacem (2). Quid vero sibi velit vulgatissimum illud judicium, exquirere operæ pretium erit, ne ineptius de Horatii *græcismis*, quos vocant, sentiamus. Dixit quidam post renatas in Occidente litteras de antiquis auctoribus bene meritus : « Multa græca verba Horatius elegantissime expressit ; cum enim plures sententias ab ejus nationis philosophis ac poetis acciperet, consuetudinem quoque sermonis studiose imitatus est » (3). Quid ergo ? Num ita res accipienda est, ut Horatium judicemus multa vocabula a Græcis transtulisse, romana fecisse, latinum sermonem transmarinis verbis locupletavisse ? Scimus quidem eum, quasi latinæ paupertatis pertæsum, nihil fere antiquius habuisse quam ut scriptoribus romanis ditandum patrium sermonem suaderet (4), sibique petisse quam aliis daret veniam :

Ego cur, acquirere pauca
Si possum, invideor ?

sed, ut ignotæ rei novum nomen imponi licere, ita quam maxime cavendum censebat, ne Canusini more

(1) PETR. *Satir.* 118.
(2) *Inst. or.*, x, 1, 96.
(3) P. VICTORIUS (Vettori), *ad Cic. Epist. ad Div.* IX, 20.
(4) *Epist.* II, 2, 115-121 ; *Art. p.* 47-62.

bilinguis (1), impudentius patriis verbis adventicia admiscerentur ; non probabat nisi quæ græco fonte caderent parce detorta. Et vero lyrica ejus carmina argumento sunt quam severam tibi legem dixerit in integris vocabulis de græco sumendis. Præter cognomina quædam deorum (2), [illegible] tantum græca nomina latine inflexa reperiuntur : *amystis*, *ciborium* et *diota* (3), etc.

Si intra angustiores illos limites ejus novandi studium stetisset, vix erat quod invidiam præcaveret. Aliud igitur intellexit, cum vocabula prædicaret de græco parce detorquenda esse. Scilicet, qui latinum sermonem egentiorem esse, et simul ad componenda verba parum tractabilem perspiceret (4), eam novandi rationem adhibendam censuit, quæ quidem græcam consuetudinem imitando e duobus latinis unum vocabulum fingeret, sollicita vero parcimonia uteretur, ne latinæ linguæ analogiam unquam sperneret. Sapiens præceptum sapienti exemplo confirmavit, cum nonnulla verba ipse de Græcis parce et pudenter derivaret. Sint in exemplum : *bimaris* (διθάλασσος), *irruptus* (ἄρρηκτος), *irretortus* (ἄτρεπτος), *illa-*

(1) *Sat.* I, 10, 30.

(2) Bacchus *Bassareus*, *Carm.* I, 18, 11 ; Apollo *Patareus*, *Carm.* III, 4, 64 ; Ap. *Agyeus*, *Carm.* IV, 6, 28.

(3) *Carm.* I, 36, 14, ἄμυστις, potandi genus apud Thracas usitatum (POLLUX, VI, 25). — *Carm.* II, 7, 22, κιβώριον, poculi genus. — *Carm.* I, 9, 8, δίωτος, adject. ex quo substantivum fecit Horatius. — Cf. ZANGEMEISTER, *de Hor. vocibus singularibus*. Berol. 1862 ; et præsertim WALTZ, *Des variations de la langue et de la métrique d'Horace*, Paris, 1881, ch. III et IV.

(4) Cf. QUINT. *Inst. or.* I, 5, 70 : « sed res tota magis decet Græcos, nobis minus succedit. » — VIII, 3, 30-31 : « Fingere Græcis magis concessum est... nostri autem in jungendo aut in derivando paullum aliquid ausi, vix in hoc satis recipiuntur. »

crymabilis (ἄδακρυς), *centimanus* (ἑκατογχείρ), *inaudax* (ἄτολμος), *tauriformis* (ταυρόμορφος), *recantare* (παλινῳδεῖν), *revincere* (ἀντινικᾶν) (1). Hinc apparet neque audaciam neque modum ipsi in novando defuisse, cum nihil ad Græcorum imitationem finxerit quod latini sermonis perspicuitati aut proprietati parum responderet.

Sed horatiani græcismi minima illa pars judicanda est, quæ in singulis vocabulis ad Græcorum rationem fingendis versatur ; quanto plura et præstantiora in verbis et serendis et ornandis curiosæ Græcorum imitationi debuit ! Modo enim ab iis didicit quam versute eleganti illa arte utendum sit, qua verba ita jungantur ut notum jamdiu novum fiat ; cujus generis sunt : *animæ magnæ prodigus* (2), *arcani fides prodiga* (3), *insaniens sapientia* (4), *splendide mendax* (5), *lene tormentum* (6) : modo illa epitheta, in quibus componendis tam feliciter Græci elaboraverunt, si uno verbo non potuit, brevi admodum formula reddidit ; inter innumera ejusmodi, hæc in exemplum sumantur : *Pater rubente dextra* (Ζεὺς φοινικοστερόπης) (7), *Mars tunica tectus adamantina* (χαλκοχίτων) (8),

(1) Cf. ZANGEMEISTER, *op. c.*, qui diligenter enumerat omnia verba quæ novavit Horatius, vel potius novasse videtur ; — item WALTZ, *op. c.* p. 70 : « Il est remarquable que tous ces exemples appartiennent aux Odes, c'est-à-dire aux plus grecques des œuvres d'Horace ; » — p. 84, harum vocum accuratum indicem exhibet.

(2) *Carm.* I, 12, 37.

(3) *Carm.* I, 18, 16.

(4) *Carm.* I, 34, 2.

(5) *Carm.* III, 11, 39.

(6) *Carm.* III, 21, 13.

(7) *Carm.* I, 2, 2.

(8) *Carm.* I, 6, 13.

late tyrannus (εὐρυχρείων) (1), *amica vis pastoribus* (φιλοποίμνιος) (2), etc. Hac quidem ratione minime dubium est quin poeticorum argumentorum copiam mirum in modum auxerit; oportebat autem ut Latinorum sermo poeticus a prioribus tantum exasciatus patienti lima perpoliretur, quantumque fieri posset, ad exquisitam Græcorum suavitatem et elegantiam accederet.

Hinc etiam profectus est reconditior ille græcismus qui verborum structura proprie continetur. Qui cum sæpissime in melicis Horatii carminibus reperiatur (3), cavendum est ne statim pronuntiemus audaciorem eum fuisse sermonis novatorem. Sedulo enim quærenti quid a Venusino græcanice constructum sit, nihil fere obvium fit quod a romanis poetis non jam adhibitum esset, ita ut verissime æstimari possit eum minus novavisse quam in sermonis poetici consuetudinem vertisse quæ ab aliis ad grammaticas Græcorum leges novata essent. Qua imitatione factum est ut latinus sermo auctus, non depravatus videretur. Dum enim tardiores quædam verborum construendorum rationes in pedestrem orationem ablegantur, ad Græcorum normam fingitur sermo ille poetarum proprius, qui ut brevior ita nervosior, ut quæsitior ita quoque elegantior procedit; dum autem priorum poetarum consuetudo diligenter observatur, nativa latinitatis indoles suo colore Græcorum opes ita distinguit, ut in suam proprietatem eas adduxisse, nedum in earum irruptione evanuisse videatur. Hac diligentia

(1) *Carm.* III, 17, 9.
(2) *Epod.* 6, 6.
(3) Cf. WALTZ, *op. c.* ch. IV. *Hellénisme d'Horace.*

meritus est Horatius ut apud posteros communem eam laudem cum Vergilio haberet, quod Latinorum sermonem poeticum ambo adauxerint, ambo ad summum doctissimæ elegantiæ fastigium provexerint.

VI. Ac nescio an magis etiam quam Mantuanus ad profectum illum contulerit Venusinus, quem inter variorum metrorum angustias coartatum summo opere in oratione ad severas lyricæ poesis leges fingenda elaborare oportuerit. Brevis enim carminis circuitus, brevis stropha, brevis versus quam minimum sollemni poetarum licentiæ permittunt, neque ullum fere pretium nanciscuntur, nisi subtili elegantia potissimum valeant.

Quis vero nescit doctissima metrorum et stropharum varietate Horatium merito primas inter eos obtinuisse qui Latinorum rem metricam auxerint ac perpoliverint? Cum Catullus duodecim versuum genera adhibuisset, quorum quatuor nondum civitate romana donata essent (1), Horatius viginti quinque versibus usus est, ex quibus tredecim primus protulisse videtur (2), stropharum vero systemata duodeviginti confinxit aut a Græcis desumpsit, omnia fere Latinis adhuc intentata. Pleraque igitur Æolorum metra romanæ lyræ « non ante vulgatas per artes (3) » sociavit atque concinnavit, licet ne ullum quidem vestigium operosissimi illius laboris reperire possis, quo adversus rigidiorem latini sermonis indolem conflictandum fuit. Neque tamen Græcorum numeros

(1) Cf. Couat, *Et. sur Catulle*, p. 188.

(2) Cf. L. Mueller, *De re metrica lat. poet.*, l. I et II (Lips. 1861). — Cf. ejusdem *Libellum de metris horatianis*, in edit. *Hor. Carm.* (Lips. 1877).

(3) *Carm.* IV, 9, 3.

adeo serviliter rettulit, ut nihil immutaret; nam, hac quoque parte ionicæ dialecti mollitiem romanæ linguæ severitate castigavit. « Cum, inquit Mueller, exiguus esset usus spondei in versibus quos sumpserat a Græcis, quod tamen genus rythmorum gravitati Latinæ longe est aptissimum, cautum fuit certe ab eo, ut ubicumque illum admitti liceret Græcorum ex norma, ibi certa observantia jam idem sanciretur » (1). Hinc est, exempli gratia, quod Alcaicus versus velut Sapphicus spondeis fulcitur et firmatur, cæsura producta distinguitur, ita ut tardior paulo graviorque veniat ad aures.

Non dissimulavi Horatium, quod ad sententias, elocutionem operisque lyrici leges pertinet, a græcis exemplaribus mirum in modum pendere; sed cum satis vel ex dictis constet non servi cujusdam, sed liberi poetæ partes ab eo susceptas esse in imitando, jus mihi partum esse arbitror ut tandem inquiram quid romanum redoleat studiosissimus ille Græcorum discipulus.

(1) Mueller, *De re metrica*, p. 162. — Cf. Waltz, *op. c.*, p. 18 « Il n'est pas l'imitateur servile d'Archiloque et des Eoliens ; il a su, par son art personnel, approprier au génie latin et soumettre à des règles plus sévères les vers et les groupes de vers qu'il a importés. » Pag. 79, eadem fere leguntur.

CAPUT II

QUOMODO IN LYRICIS CARMINIBUS ROMAM ET ITALIAM HORATIUS DESCRIPSERIT

I. Quam describendi rationem adhibuerit. — II. Quomodo loca descripserit. — III. Quomodo mores : comitia, deorum cultum, romanum luxum, romanam domum expresserit.

I. Inter omnes poeticarum rerum vel mediocriter peritos illud ante omnia constat, lyricam poesim a ceteris poesis generibus eo præsertim differre, quod proprio nomine, quicquid cogitet, sentiat et velit, poeta loquatur, ideoque illam a recentioribus nonnullis insolentius profecto et barbare nimis, tamen significantius vocari poesim maxime omnium *subjectivam*. Nec enim aliorum gesta, epicorum more, narrare, neque in scænam personas alias agentes inducere, proprium lyrici poetæ munus est et officium; sed ipse velut in scænam ascendit, servataque propria persona, proprias quoque partes agit. Inde fit ut in ipsius operibus eorum locorum mentio et descriptio persæpe inveniatur, in quibus natus et educatus, variosque et multiplices cotidianæ vitæ affectus expertus est, ita ut eadem opera, quemadmodum nativæ poetæ indolis, sic ipsius patriæ fidelissimum tanquam speculum exsistant. Simili prorsus ratione, ipsam tem-

porum, quibus vixit, imaginem referre debent. Igitur qualem se in depingendis patriæ locis et moribus præstiterit Horatius expendere haud alienum a proposito ducimus.

Non est tamen quod exspectes ut in locis depingendis diutius Venusinus noster immoretur, eamque locorum imaginem ostendat, quæ nihil legentium animis amplius desiderandum relinquat. Longe aliam fuisse apud antiquos describendi rationem multi jam præmonuerunt (1). Namque satis habebant, si, Homero duce, urbem aliquam, fluvium vel montem uno vel altero verbo, et eo quidem perquam significanti et proprio, ob mentis oculos ponerent, unde vivida quædam exsurgeret imago, in bono lumine collocata, sed adumbrata magis quam ultimo penicillo depicta. Quæ quidem describendi ratio eo pertinebat, ut legentes claris illis et parcioribus præstricti coloribus, non ad satietatem delectarentur, sed, relicta sibi cogitandi et imaginandi copia, inchoatam a poeta tabulam secum ipsi perficerent. Nondum enim provenerat illud poetarum genus qui ideo tantum terrarum situs describere videntur, ut describant, adeoque multi sunt in producendis rerum imaginibus ut potius fastidium quam gratiam consequantur. Horatiana igitur carmina ita revolvamus, ut nunquam obliviscamur eum, antiqua describendi ratione, ut parcius ita expressius patriæ effigiem adumbrasse.

II. En, Horatium secuti, Romam ingredimur, principem urbium (2). Sacram metimur Viam (3), sacrum

(1) Cf. PATIN, *Etudes sur la poésie lat.*, t. I, p. 253.
(2) *Carm.* IV, 3, 13.
(3) *Epod.* IV, 7.

illum clivum,per quem tot catenati reges in triumphum ducti sunt, Augustusque, si vaticinantem poetam augur Apollo non deludat, quandoque trahet feroces, merita decorus fronde, Sygambros (1). Ad Capitolium pervenimus, Romæ et totius terrarum orbis caput, quod æterno, quæ spes Horatio est, scandet cum tacita virgine Pontifex (2). Quale nobis ante oculos obversatur spectaculum! Adspicimus sacras arces quas Jupiter jaculatus Urbem gentesque terruit ne altero diluvio absumerentur (3). Præcipuas poeta nomine appellat, Aventinum (4), Palatinum (5), Esquilinum (6), illumque trans Tiberim Vaticanum, cujus jocosa quondam imago, cum Mæcenati datus in theatro plausus fuit, laudes illi reddidit (7). Adspicimus flavum Tiberim, qui monumenta Numæ regis seu templa Vestæ arenosis undis alluit, iisque ruinam minatur quando sinistra labitur ripa (8). Postquam vero ad Urbis cacumina oculos circumtuleris, refer jam ad areas quæ dextra lævaque patent, civilium rerum vel juvenilium ludorum sedes. Hic cernis forum illud ubi romana vita agitatur, et superba civium potentiorum limina, quo mane clientes confluunt patronos salutaturi (9): illic vero apricum Martis Campum (10), ubi ju-

(1) *Carm.* IV, 2, 35.
(2) *Carm.* III, 30, 9.
(3) *Carm.* I, 2, 3 seqq.
(4) *Carm. sæc.* 69.
(5) *Ibid.*, 65.
(6) *Epod.* 5, 100.
(7) *Carm.* I, 20, 3 sqq.
(8) *Carm.* I, 2, 13 sqq.
(9) *Epod.* 2, 7.
(10) *Carm.* I, 8, 3.

ventus pulveris atque solis patiens, equitando et luctando, membra duro labore exercet, quo cives Roma domi bellique bonos semper habeat. Verum ne diutius mireris beatæ

Fumum et opes strepitumque Romæ

monet Horatius(1), et invitat ut secum descendas ad mare, vel ad colles Tiburtinos confugias, præsertim cum calor adducit febres nec poetam inertibus horis frui sinit.

Jam vero si velis Italiam perlustrare, fidum ducem habes qui præcipuas urbes, fluvios et montes non solum nomine designabit, sed iis etiam coloribus depinget, quibus a natura sumptis nihil unquam vetustas detrahat. Roma egressurus ut via Tiburtina ad dilectissimam poetæ regionem, alteram ejus quasi patriam, contendas, respice ad Aquilonem ut stet Soracte, per acriores hiemes nive candidum (2). Sed jam Latium ferox (3) ingressus es, et mox, omissis ad dextram Albanis montibus et nivali Algido (4), Tibur illud cernis, declivi colle supinum Tibur (5). Quis miretur amœnissimam hance regionem adeo Flacco placuisse, ut eam regiæ Romæ præferret (6), et effusius solito describeret ? Nunc laudat mite solum Tiburis et mœnia Catili (7), nunc aquas quæ Tibur fertile præfluunt (8). Quid dicam de illo carmine

(1) *Carm.* III, 29, 11.
(2) *Carm.* I, 9, 1.
(3) *Carm.* I, 35, 10.
(4) *Carm.* III, 23, 9
(5) *Carm.* III, 4, 23.
(6) *Epist.* I, 7, 44.
(7) *Carm.* I, 18, 2.
(8) *Carm.* IV, 3, 10

ubi celeberrimas regiones memorans quas poetæ summis laudibus extollere solebant, se Tiburtini agri dulcedine maximopere teneri profitetur ?

(Me)nec tam Larissæ percussit campus opimæ,
Quam domus Albuneæ resonantis,
Et præceps Anio ac Tiburni lucus et uda
Mobilibus pomaria rivis (1).

Quid brevius simul et expressius excogitari potuit, ut regionis amœnitatem tabulæ suavitas æquaret ? Hanc sedem senectæ et laborum requiem precabatur (2), unde si Parcæ prohiberent iniquæ, molle Tarentum petiturus erat.

Quamvis Tibure poeta admodum delectaretur, non eo tamen potissimum confugere assueverat, ut ab urbanis officiis respiraret ; sed, postquam Platona Menandro stipaverat , Eupolin atque Archilochum comites eduxerat (3), ultra Tiburtinos colles tendens iter in Sabinis inter litteras rusticabatur. Ibi ad pedes amœni Lucretilis (4), in reducta valle Caniculæ vitabat æstus, dum pastorum fistula valles et Usticæ cubantis levia personabant saxa ; satisque beatus unicis Sabinis, nihil supra deos lacessebat, nec potentem amicum largiora flagitabat (5). Quod ad hunc imaginum suavissimum colorem attinet, ne arbitreris Horatium proprio ingenio, sollemni poetarum more, nimis indulsissse ; verum adeo cuncta ad vivum, ut ita dicam, e natura expressit, ut hace sola

(1) *Carm.* I, 7, 11.
(2) *Carm.* II, 6, 5 seqq.
(3) *Sat.* II, 3, 11.
(4) *Carm.* I, 17, 1 seqq.
(5) *Carm.* II, 18, 11 seqq.

descriptione ductus, vir quidam nostri poetæ cultor eximius, sæculo proxime elapso, villæ horatianæ reliquias detegere potuerit, et testari Horatium in singulis describendis non minus pictorem quam poetam egisse(1).

Si libet, destinatum iter pergamus. Postquam Pælignorum regionem frigoribus notam pertransiimus (2), mox siticulosam Apuliam (3) ingredimur. Adspicis Superi maris fluctus, quos ad litus elidit Auster

Dux inquieti turbidus Hadriæ (4).

Dum furit tempestas, personant litora raucis fluctibus (5), et mugiunt querceta Gargani (6). Salvete, Matina cacumina (7), ubi grata thyma carpunt apes, laboriosæ poetæ sedulitati exemplum daturæ (8). Sed jam ad patriam Horatii ventum est ; longe sonantem audimus Aufidum (9), tauriformem fluvium (10), qui violenter currit ad mare ; Vulturemque Apulum cernimus (11), ubi quondam Horatium, non sine dis animosum infantem, ludo fatigatum somnoque oppressum fabulosæ palumbes fronde nova texere. Quam suaviter poeta memorat loca illa, puerilium ludorum testes,

(1) Capmartin de Chaupy, *Découverte de la maison de campagne d'Horace*, t. III, p. 336-7.
(2) *Carm.* III, 19, 8.
(3) *Epod.* 3, 16.
(4) *Carm.* III, 3, 5.
(5) *Carm.* II, 14, 14
(6) *Carm.* II, 9, 7.
(7) *Epod.* 16, 28.
(8) *Carm.* IV, 2, 27 seqq.
(9) *Carm.* IV, 9, 2.
(10) *Carm.* IV, 14, 25.
(11) *Carm.* III, 4, 9 seqq.

Celsæ nidum Acherontiæ
Saltusque Bantinos et arvum
Pingue... humilis Forenti !

Quæ quidem qui potuerunt effingi graphice magis ?

Ulterius progrediamur, quo nos cum Horatio vocant Magnæ Græciæ colles cum amœnitate tum fertilitate celebratissimi. Hie, circa lætas Galæsi fluminis ripas (1), errantes cernimus oves pellibus velatas ne sentibus et dumetis præstantior earum lana corrumpatur ; hic, Calabræ mella ferunt apes, nihil Hymettio melli cedentia (2), Aulonque uvas gignit quæ minimum Falernis invideant (3). Ver ibi longum, atque autumnum vere excipi et continuari dicas, adeo tepent hiemes !

Hinc si alia via Romam repetis, quot adhuc invenias loca in horatianis carminibus nomine designata, aut verissimis imaginibus depicta : Tyrrhenum mare oppositis pumicibus debilitatum (4) ; otiosam Neapolin (5) ; Lucrinum lacum, non minus conchyliis quam loci amœnitate Romanis jucundum (6) ; liquidas, Baias (7) ubi maris litora submovere nititur, mira quærendæ voluptatis ratione, Romanus

Parum locuples continente ripa (8) ;

agros vini feracissimos, Calenum, Formianum, Falernumque ; felicia rura quæ Liris quieta

(1) *Carm.* II, 6, 10.
(2) *Carm.* III, 16, 33 ; II, 6, 14.
(3) *Carm.* II, 6, 17.
(4) *Carm.* I, 11, 5.
(5) *Epod.* 5, 43.
(6) *Carm.* II, 15, 3 ; *Epod.* 2, 49.
(7) *Carm.* III, 4, 24.
(8) *Carm.* II, 18, 21.

Mordet aqua taciturnus amnis (1),

vel gratum Antium, Fortunæ templo nobilissimum (2); vel Tusculum, villis candentibus late spectabile (3), frigidumque Præneste (4), « æstivas, ut ait Florus, delicias » (5).

Quod si ea Romæ et Italiæ delineamenta, eosque colores in unum contraximus, unde una efficeretur quasi tabula ab Horatio depicta, non est cur vereamur ne in reprehensionem incurramus quod fucum facere voluerimus, quo melius romana horatiani ingenii natura eluceret : multo magis timendum est ne ea obscurata nimis sit. Namque non hic aut illic patrias imagines carminibus suis inspersit Horatius; sed pauca admodum reperias ubi nomen aliquod vel etiam pictura romanum scriptorem non prodat : immo, ne illud quidem romanæ originis signum ab iis poematiis abesse voluit quæ græco constant argumento, ut græcas sententias juris romani factas esse intellegas. Quæ quidem patriæ toties commemorandæ vel depingendæ ratio quàm Romanis placere debuerit, ex nobismetipsis quærere possumus. Quem enim non delectat eas regiones reperire apud scriptores ad verum expressas, in quibus viximus, quas etiam vel peregrinando novimus? Redintegrata locorum memoria, rursus iis fruimur quæ vidimus, et naturam admirati, sollertem poetæ artem, naturæ æmulam, perinde admiramur ac si pingentem poetam, communicatis nostris

(1) *Carm.* I, 31, 7.
(2) *Carm.* I, 35, 1.
(3) *Epod.* I, 29.
(4) *Carm.* III, 4, 22.
(5) FLOR. I, XI, 7.

cum illius sensibus, nostra industria adjuverimus. Ut paucis quæ hactenus disputata sunt contrahamus, Horatii carmina meminerimus adeo luculentam Romæ et Italiæ imaginem præbere, ut, si trans Alpes peregrinationem instituere velis, neque inter sarcinas locus nisi uni Veterum libro relinquatur, Horatio nemo quisquam præferendus sit.

III. Quemadmodum ea locorum nomina apud Horatium passim occurrentia poetæ patriam quasi ob oculos perpetuo ponunt, ita romani et italici mores melicis carminibus haud raro descripti Augusteam ætatem signare videntur. Ut a creandis magistratibus ordiar, scimus, Suetonio auctore, Octavianum comitiorum pristinum jus reduxisse (1), primisque hujus principatus temporibus non semel in Campo Martio ea in dandis suffragiis exorta esse certamina quæ veteris rei publicæ morem in memoriam revocarent (2). Horatio igitur non opus fuit altius ex Annalibus exempla repetere (3), ubi Romanorum studia et contentiones in petendis magistratibus designare voluit. Visam rem, non auditam tantum referre videtur, cum petitores ostendit in Campum descendentes, ut de summis honoribus contendant, hunc vetere prosapia et nobilitate superbientem, illum moribus et fama commendatum, vel etiam majori clientium turba stipatum (4). Quid enim? Illa comitia quorum agitatio-

(1) Suet. *August.*, 40.

(2) Dio. Cass., iv, 6.

(3) Minus recte, ut opinor, vir doctissimus Orellius, *Hor. op.*, t. I, p. 329 : « Ceterum loquitur quasi vetere re publica etiamtunc manente. »

(4) *Carm.* iii, 1, 10.

nes et æstus cum Euripi fluctibus Tullius non luculente minus quam vere contulerat (1), mobiles Quiritium animos (2), instabilemque popularis auræ (3) favorem adeo declarabant ut non sine causa contendi possit inde Horatium didicisse quam parvi ventosæ plebis suffragia facere oporteret (4). Verumenimvero vix opus esse arbitror ut moneam illum popularium suffragiorum contemptum signum esse, ut aiunt, temporum, satisque denuntiare caducos veteris rei publicæ mores pessum ire, atque brevi futurum ut Augustus comitia debilitet, Tiberius penitus tollat (5).

Quod ad religionis res et cærimonias pertinet breviter et summatim attingam, cum fusius de diis jam disputatum sit; satis erit in præsens ea delibare quæ romanos mores imprimis sapiunt. Horatii carmina diis, si ita loqui fas est, adeo plena et referta esse ut eorum nomina sescenties memorentur, sciunt vel qui incuriosa manu evolverunt; neque temerarium sit contendere tam amplam ibi sacrarum rerum materiam inveniri, ut, si aliorum opera deficiant qui de iis proprie et peculiariter scripserunt, possis tamen, collectis quæ apud Horatium sparsa jacent, romanæ religionis effigiem satis agnoscendam describere. Ibi reperias Græcorum numina, quæ jampridem in civitatem allata, suas proprietates, quas vocant, romanis numinibus induerunt, iisque tamen ritibus coluntur qui ex vetere Romanorum religione

(1) Cic. *Pro Mur.*, 17, 35.
(2) *Carm.* I, 1, 7.
(3) *Carm.* III, 2, 20.
(4) *Epist.* I, 19, 37.
(5) Tac. *Ann.*, I, 15.

emanarunt (1). In quo istius populi ingenium elucet, qui avitarum religionum tenacior, mutatis de diis opinionibus, antiquitus usitatos ritus servandos censebat. Sunt quoque numina quæ, ut nomine et proprietatibus ita cultu vere romana permanserunt : Lares illi, romanæ domus custodes, in atrio renidentes (2), ture et horna fruge, cæsaque porca placandi (3); Juno Lucina, cui calendis martiis, sollemni Matronalium die, pro conjugii felicitate sacra faciunt (4); Terminus, festis diebus, agna cæsa colendus (5), Faunusque, veterrimus ille Latinorum deus, agrorum et gregum custos assiduus, qui turi, nonis decembribus (6), Romæque idibus februariis (7), quam religiosissimo cultu quotannis celebratur. Quid vero opus est Ancilia dicere æternosque Vestæ ignes, fatalia romanæ æternitatis pignora? (8) Unum hoc adjiciendum puto, quod Horatius, veterum haud indiligens, novos quoque cultus vel potius Augusti ætate renovatos carminibus exornare aut commemorare studet, neque ludos sæculares solum (9) et festos dies Apollini, dedicato templo, habitos (10), sed Neptunalia etiam, quæ, exstructis ab Agrippa in Neptuni hono-

(1) Cf. G. Boissier, *La Religion romaine d'Aug. aux Antonins*, ed. in-12, t. I, p. 38.
(2) *Epod.* 2, 66.
(3) *Carm.* III, 23, 3.
(4) *Carm.* III, 8, 1 seqq.
(5) *Epod.* 2, 59.
(6) *Carm.* III, 18, 10.
(7) *Carm.* I, 4, 11.
(8) *Carm.* III, 5, 10.
(9) *Carm. sæc.*, IV, 6.
(10) *Carm.* I, 31, 1.

rem magnificentissimis ædibus, Romæ invaluisse videntur (1).

Parum est quos coluerint deos Romani novisse, nisi penitus introspicias quo animo in iis colendis se habuerint : cujus rei testimonia haud contemnenda præbet Horatius. Et vero summam istius religionis in minutissimis et intricatissimis ritibus consistere cum ex aliorum scriptis tum ex nostri carminibus discimus ; quibusdam enim in locis non modo sollemnem apud Romanos precandi morem, sed eas quoque victimas quibus deus quisque ex Pontificii juris decretis colendus est indicat poeta. Neque committit ut Urbem auspicato conditam omnia belli domique prospera ex auspiciis religiose observatis tenere obliviscatur ; nunc enim profecturis amicis, providus auspex, fausta omina precatur (2) ; nunc ideo Monæsem et Pacorum Romanorum impetus contudisse affirmat, quod inauspicato et præter deorum voluntatem Romani bella moverint (3). Ibi animadvertas licet vere germanam romanæ religionis naturam, quæ tam brevi confinio superstitionem attingebat, ut eadem illa religionis voce non probandum modo cultum sed cultus etiam stultam immoderationem soli omnium signarent. Neque objiciatur notissimum illud carmen, quo rusticam Phidylen, superstitiose de donorum exiguitate sollicitam, sapienter monet deos minus lautis sacrificiis coli quam puro sacrificantis animo :

(1) *Carm.* III, 28, 1 ; cf. PRELLER, *Les Dieux de l'ancienne Rome*, p. 347.
(2) *Carm.* III, 27, 8.
(3) *Carm.* III, 6, 10.

Immunis aram si tetigit manus,
Non sumptuosa blandior hostia
Mollivit aversos Penates
Farre pio et saliente mica (1).

Præclara quidem sententia, vere philosopho viro digna, ex Euripide, ut videtur, desumpta (2); quæ tamen superstitionis morbum testatur, dum remedium suppeditat.

Jam vero deorum cultum in exitialem contemptum abisse non semel queritur (3), sincera an ficta indignatione nihil nunc ad nos: sed quæ mala deorum neglegentiam consequi soleant ejusdem carmina sæpius testantur. Romani, sublata in deos fide, neglectaque avita religione, cum in trepidis rebus versarentur aut futuri nimium incuriosi ad ventura omnia paverent, ad religiones extraneas confugerunt; unde factum est, ut, quam diis fidem abnuerant, eam Astrologorum et Chaldæorum hariolationibus adhiberent. Quem morbum Romam antea jam irrepsisse Tullius auctor est (4), et Augusti temporibus grassatum esse illo carmine docet Horatius, ubi Leuconoen a tentandis Babyloniorum numeris avocare studet (5). Superstitioni finitimus est artium magicarum usus; quæ quoque apud Romanos quatenus invaluerint fidem facit vel solum illud carmen, quo poeta

(1) *Carm.* III, 23, 17.
(2) EURIP., *Danae*, frag. II, ed. Didot :

« Καὶ θεοῖσι μικρὰ χειρὶ θύοντας τέλη
Τῶν βουθυτούντων ὄντας εὐσεβεστέρους »

Cf. STOB. XCVII, 14.
(3) *Carm*, III, 6, 7.
(4) CIC., *Tuscul.* I, 40.
(5) *Carm.* I, 11, 2.

noster Canidiæ illiusque in tæterrimo opere administris diras imprecatur (1).

Si nullo non tempore religione opus est quæ cupiditatibus frena injiciat, tum maxime illud vinculum desiderari manifestum est, cum in ea incidimus tempora quæ novam omnibus vitiis materiam suppeditant. Haud igitur multæ operæ est, si illorum temporum rationem habeas, intellegere qui factum sit ut Horatii ætate publici mores adeo a pristina severitate deflexerint. Postquam enim illa desævierat tempestas quæ rem publicam per multorum cædes ad unum virum transtulerat, multi exstiterunt qui infimo nati loco proscriptorumque bonis et honoribus aucti in omnem luxum effusissimis, ut ita dicam, habenis se projicerent. Non est itaque quod nobis admirationem moveat, si poeta acerbissimo carmine in ejusmodi hominem quempiam invehatur, qui servus olim flagellis triumviralibus cæsus, nunc superbo gressu per Sacram viam ambulat, amplissima latifundia possidet, et inter equites in primis sedilibus, contempta lege Roscia, spectaculis interest (2). Non quod soli per injuriam ditati luxui indulgerent ; latius enim ea prorepserat libido. Pace post Actiacam pugnam Romanis conciliata, cum jam securis otio frui liceret, divitias exercere, domos ex pretiosissimis marmoribus ædificare, auro et ebore exornare (3), nemus inter columnas impluvii conserere (4), si non cœperunt, in dies tamen magis insueve-

(1) *Epod.* 5 ; cf. Cic. *in Vatinium*, VI, 14 : « ... cum puerorum extis deos manes mactare soleas. »

(2) *Epod.* 4

(3) *Carm.* III, 1, 45 ; II, 18.

(4) *Carm.* III, 10, 5 ; cf. Vitruv. VI, 8.

runt. Neque in Urbe tantum immanis ille luxus constitit, sed villas etiam invasit. Liberrima erumpit Horatii indignatio, cum pestem illam conspicit per totam Italiæ faciem jamjam grassantem, mox propter regia ædificia vix aratro pauca jugera relicturam (1). Quidni stomachetur, cum piscinæ Lucrino latiores passim effodiantur, inutilesque arbores, solius voluptatis causa, in vitium olivetorumque locum succedant, cumque, jactis in altum molibus, vel in ipso maris litore domos exstruere cives assuescant ? (2).

Cum in consuetudinem proverbii cesserit, luxum, quo lautius in publicum prodeat, eo viliora privatim vitia occultare, non miraberis si romanam domum introeunti fœdissima quæque, quod ad mores attinet, sæpius occurrant. Et vero, quo recidit illa matrimoniorum sanctitas, qua olim res publica viguisse dicitur ? Jam pridem flagitiosis moribus infecta domus est, et matrimonia adulteriis corrupta..

> Fecunda culpæ sæcula nuptias
> Primum inquinavere, et genus, et domus ;
> Hoc fonte derivata clades
> In patriam populumque fluxit (3).

Qua turpitudinis contagione ita tenentur liberi, ut a teneris annis in omnem lasciviam prolabi condiscant : ionicam mollitiem dicas in romanæ domus penetralia traductam. Hinc habes luctuosissimam illam augusteis temporibus familiæ imaginem : parentes vicissim adul-

(1) *Carm.* II, 15, seqq.
(2) *Carm.* II, 18, 20 ; III, 1, 33. — Cf. SEN. *Epist.* 89, 21.
(3) *Carm.* III, 6, 17.

teriis conjugium fœdantes, vel ipsam persæpe matrem-familias dote virum regentem (1), nec sine conscio illo adulteram (2); filiam quæ incestos amores

De tenero meditatur ungui (3);

atque filium qui

nescit equo rudis
Hærere ingenuus puer,
Venarique timet, ludere doctior,
Seu græco jubeas trocho,
Seu malis vetita legibus alea (4).

Sic igitur, profligatis bellis civilibus, vetus morum disciplina oblitterata est ut nescias utrum stupris an adulteriis, orbitate an prava liberorum institutione pejus res publica laboret. Cum ingenti illa corruptela in summum Romam discrimen adductum iri intellegeret Augustus, per leges malo mederi statuit, quali adjutore Horatio usus, infra disquiretur. Hic animadvertere sufficiat poetam depravatis Urbis moribus non semel puros et incontaminatos rusticorum mores contra positos ostendere: patrum laboriosam industriam; mulierum pudicitiam,

Sabina qualis, aut perusta solibus
Pernicis uxor Apuli (5);

piumque filiorum erga matres obsequium (6).

Ex dictis evincitur lyrica Horatii carmina Romæ et

(1) *Carm.* III, 24, 18.
(2) *Carm.* III, 6, 29.
(3) *Ib.* 23.
(4) *Carm.* III, 24, 54.
(5) *Epod.* 2, 41.
(6) *Carm.* III, 6, 40

Italiæ satis fidelem imaginem depingere, non si ad regionum situs solum respicias, sed ad mores etiam, quales ætate illa vigebant. Ut igitur peregrinantibus ex locis ab Horatio descriptis plurimum delectationis oriri diximus, sic historicis penitus Augusti tempora et Romanorum mores scrutantibus curiosius evolvenda horatiana carmina arbitramur.

Quamobrem constat jam, id quod primum posueramus, Venusinum poetam externa, ut ita dicam, facie romanum apparere; restatque ut rem multo difficiliorem aggrediamur, utrum, expensis quæ in lyricis carminibus ad romanam patriam, res politicas vel philosophicas pertinent, Horatio animus vere romanus fuisse dicendus sit.

CAPUT III

DE HORATII IN PATRIAM AMORE

I. Amor patriæ, præcipua Romanorum virtus ; — quæ provincialibus civibus patria ; — quid sit vere patriam amare. — II. Horatius avitæ Romanorum gloriæ admirator et præco. — III. Horatii in patriam studium, inter bella civilia ; — Carmina ante Perusinum, ante et post Actiacum bellum scripta. — IV. Horatii in Romæ perennitatem fides. — V. Horatii gratus in Venusiam animus, loci patriam.

I. Neminem latere puto, vel qui transcursim romanos annales evolverit, hunc populum ut labore, patientia ceterisque id genus virtutibus, quibus res quæque publica augeri solet, ita præcipuo in patriam amore inclaruisse. Cum enim nobiscum animo reputamus, si in foro acerbissimæ Patrum et plebis contentiones et discordiæ exercerentur, eas, consule instare bellum nuntiante, statim deflagrasse, omnesque ad arma cucurrisse, quasi consulis voce ipsa patria esset locuta ; et ubi ad rem cum hostibus ventum esset, illas Deciorum et aliorum visas esse devotiones, quas fere inter fabulas recenseas, nisi apertioribus constent testimoniis ; ducibusque devictis adeo cives non suscensuisse ut contra omnes ordines iis obviam irent, gratiasque agerent quod de re publica non

desperassent (1), quid dicamus, nisi Romanis, vetere re publica, patriæ amorem ceterarum virtutum caput et fontem exstitisse ?

Quamvis illa sint quæ omnium admirationem movere debeant, en aliud præstantius occurrit. Cum Roma, Latii finibus egressa, ceteris Italiæ populis, civitatis nomine, jugum imposuisset, utra provincialibus viris patria fuit, civitas ex qua orti, an civitas in quam acciti erant ? Arpinas an Romanus Marius dicendus est ? Num minus romanam patriam diliget municeps aliquis, quam civis antiquissima Urbis gente oriundus ? Rem luculentissime enucleat Tullius, testis præ ceteris audiendus, ut qui Romæ inquilinus esset. « Ego mehercule, inquit, et illi (Catoni) et omnibus municipibus duas esse censeo patrias : unam naturæ, alteram civitatis ; ut ille Cato, cum esset Tusculi natus, in populi Romani civitatem susceptus est. Ita, cum ortu Tusculanus esset, civitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram juris ; ut vestri Attici, priusquam Theseus eos demigrare ex agris et in astu, quod appellatur, omnes se conferre jussit, et simul φράτορες iidem et Attici : sic nos et eam patriam dicimus, ubi nati, et illam, qua excepti sumus. Sed necesse est caritate eam præstare, qua populi Romani nomen universæ civitatis est : pro qua mori, et cui nos totos dedere, et in qua nostra omnia ponere et quasi consecrare debemus » (2). Neque his verbis oratoriam nescio quam contineri jactantiam putes, quasi cum egregiis præceptis res parum concinuerit. Quis enim

(1) Tit. Liv. xxiii, 61.
(2) Cic., *De Legibus*, ii, 2, 5 (ed. Orell.).

se magis romanum civem præstitit quam Tullius, cum civilibus curis et tota agendi ratione, tum studiis et scriptis? Qui cum perfectam civitatis imaginem civibus suis ostendere vellet, non, Platonis instar, eam adumbravit quæ nusquam fuisset, sed romanæ ipsius rei publicæ historiam exhibuit (1); cumque officiorum modum et rationem describeret, patriam omnes omnium caritates unam complecti affirmavit (2).

At veniet mox tempus, cum, prolato imperio, populisque non Italiæ modo, sed externis etiam et longinquis in civitatem exceptis, patria romana in illa populorum colluvie quasi evanescere videbitur. Jam in Senecæ operibus minus illa cernitur; et cum hominum officia diligenter percenset, ad privatos tantum respicere eum credas. Si rogaretur cujatem se esse diceret, quid responsurum putas, nisi notissimo Socratis verbo: mundanum? (3) A Cicerone ad Senecam media intercedit Augusti ætas; utrum igitur Horatius, Ciceronis instar, romanam patriam vere et ex animo, ut aiunt, diligat, an minus curet; ipsiusne carmina veterem patriæ amorem spirent adhuc, an patriam jam oblitterari denuntient, statim inquiremus.

In principio sit positum, neminem vero in patriam amore inflammari, nisi qui præteritum patriæ decus, civesque olim de ea bene meritos admiratione prosequatur; quod autem præsens est, lætis patriæ rebus gaudeat, miseris doleat, semper paratus, quoad ejus fieri possit, illas promovere, his mederi; denique de

(1) Cic., *De Republica*.
(2) *De Offic.*, I, 17.
(3) Cic. *Tuscul.* V, 37, 108; cf. Plut. περὶ φυγῆς, t. VIII, p. 371 (ed. Reiske); Arr., *Epict.* I, 9.

patria nunquam in posterum desperet. Ita enim fiet, ut, si civilia obeas munia, fortem et strenuam civitati naves operam, neque de via quam patres ingressi sunt deflectendo, neque novas augendæ publicæ gloriæ rationes omittendo; si vero scriptoris vel poetæ partes agas, veteris patriæ imagine semper ob oculos posita, præterita tempora cum præsentibus patresque cum posteris continua, ut ita dicam, catena conectas, cives patrio more agentes meritis laudibus exornes, errantesque in viam avitæ gloriæ reducas. Jam vero si ea quasi trutina lyrica Horatii carmina expendas, futurum esse satis confido, ut illa patriæ amorem præ se ferre et spirare mecum confitearis.

II. Notum est fuisse olim apud Romanos rude quoddam lyricæ poesis simulacrum, qua convivæ in epulis de clarorum hominum virtutibus ad tibicinem canerent; quem patrium morem, multis abhinc annis obsoletum, pollicetur Horatius sua opera sollemnem rursus futurum :

> Virtute functos, more patrum, duces,
> Lydis remixto carmine tibiis,
> Trojamque et Anchisen et almæ
> Progeniem Veneris canemus (1).

Non desunt in ipsius libris carmina, quæ, cum illis respondere, tum patrios sensus et summam veteris rei publicæ admirationem continere videantur. Quæcumque enim a Romulo ad Augustum fortiter et gloriose gesserunt Romani, quæcumque præcipuo honore fulserunt ducum nomina, ita ea commemorat et extollit, ut sentias

(1) *Carm.* IV, 15, 29.

hereditaria illa a majoribus accepta laude poetam superbire, nec quicquam antiquius habere quam ut eam æqualibus suis imitandam præbeat, et ad ultimam usque posteritatem propaget.

Nolim in percensendis ejusmodi carminibus nimius videri, quæ omnium memoria tenentur ; præcipua indicare satis habebo, quæque maxime proposito conducant.

In percelebri illo carmine quo Augustum adversus Parthos bellum parantem laudare instituit (1), Horatius, pindarico artificio usus, ambigere videtur quem virum aut heroa quemve deum canere debeat ; mox diviniori mente impulsus, et poetico spiritu velut abreptus, maximos romanæ gentis viros qui patriam bellica virtute condiderunt et in immensum auxerunt, obiter quidem, sed iis laudibus exornat unde intellegas poetam egregia in illos patriæ veros patres ferri admiratione. Quid multa? brevem quamdam ibi romanæ virtutis et gloriæ tabulam adspiciendam proponit, splendidis coloribus depictam, quam romanis sensibus romanaque majestate quasi animari nemo sanus diffiteatur.

Age vero, quis Romanorum cum romana magis superbia illa commemorat prœlia quibus in extremum discrimen toties adducta est Roma, ex quibus autem ad summum gloriæ fastigium semper emersit?

> Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi,
> Minacis aut Etrusca Porsenæ manus,
> Æmula nec virtus Capuæ, nec Spartacus acer
> Novisque rebus infidelis Allobrox,
> Nec fera cærulea domuit Germania pube
> Parentibusque abominatus Hannibal (2).

(1) *Carm.* I, 12.
(2) *Epod.* 16, 2.

Quoties illud ipsum Hannibalis nomen ore poetæ excidit, grande aliquid sonans, magnificum romanæ virtutis documentum, æternumque præclarissimæ victoriæ decus ! (1). Hic enim, tanta se Punicorum bellorum admiratione teneri et quodam modo perstringi fatetur, ut iis carmine dicendis imparem suam citharam declaret (2); illic vero, dum Drusi laudes persequitur, Hannibalem inducit clade ab Hasdrubale accepta in summam rerum desperationem adactum, confitentemque Romanos ut cladibus nunquam infringi, ita novas inde vires sumere (3). Quo quidem poetæ artificio quid ingeniosius aut efficacius excogitari potest, quo romana virtus eluceat magis ?

Quemadmodum vero partis olim victoriis exsultat Horatius, sic inustas nomini romano ignominias indignatur; atque haud scio an magis romanam mentem in hac cladis, quam in illa victoriarum commemoratione agnoscere debeamus. Nonne enim penitus ex animo patriæ amantissimo profectum illud carmen est (4), quo in Crassi milites vehementissime invehitur, qui adeo suimet obliti et a majorum virtute degeneres fuerunt, ut, postquam turpem deditionem honestæ morti anteposuissent, incolumi Jove et urbe Roma, cum Parthorum feminis probrosa inirent matrimonia ? Qua ab ignominia ut paululum mentem indignabundam reficiat, simulque ad fortitudinem cives cohortetur, statim nobilissimum

(1) *Carm.* II, 12, 2 ; III, 6, 36; IV, 4, 19. — 8, 16 ; *Epod.* 16, 8.
(2) *Carm.* II, 12, 1.
(3) *Carm.* IV, 4, 49.
(4) *Carm.* III, 5, 5 seqq.

Reguli exemplum subjungit, qui patriæ flagitio propriam perniciem prætulit :

Fertur pudicæ conjugis osculum,
Parvosque natos, ut capitis minor,
Ab se removisse, et virilem
Torvus humi posuisse vultum :
Donec labantes consilio patres
Firmaret auctor nunquam alias dato,
Interque mærentes amicos
Egregius properaret exsul.
Atqui sciebat, quæ sibi barbarus
Tortor pararet...

Adeo romani sensus ibi ad verum expressi eminent, ut, licet egregium Reguli facinus toties a Cicerone (1) aliisque collaudatum sit, nunquam tamen Regulus nobis in mentem veniat, nisi horatiana illa imagine indutus. Ne multa, quicquid amantius in patriam cogitari et dici potest, poeta noster in brevem versum, illumque omnis civicæ virtutis plenum, contraxit, qui proverbii consuetudinem obtinuit:

Dulce et decorum est pro patria mori (2).

Hanc romanæ gloriæ imaginem ab Horatio multis carminibus adumbratam mecum reputanti, nullus ex romanis poetis occurrit cui illa quidem laude cedere existimandus sit. Aliter Vergilius, ut epicum carmen decebat, magnificis coloribus gloriosos bellicæ Romanorum virtutis fastos evolvit et depinxit; sed uter sensus

(1) *De off.* III, 27.

(2) *Carm.* III, 2, 13. Notandum tamen præivisse Tyrtæum :

Τεθνάμεναι γὰρ καλὸν ἐπὶ προμάχοισι πεσόντα
Ἄνδρ' ἀγαθὸν περὶ ᾗ πατρίδι μαρνάμενον

(Schneidewin, *Delectus poet. eleg. iamb.* etc., p. 6.)

magis romanos, Mantuanus an Venusinus, spirare videatur injudicatum relinquere præstat quam alterutri injuriam facere, cum simillimi in opere dissimili appareant. Quoniam vero in Vergilii mentionem incidimus, ne illud quidem oblivisci possumus, Horatium non semel sed imprimis in præstantissimo carmine de Romulo in deorum consortium admisso (1), totum Æneidos propositum quasi complecti et includere. Sic uterque, fabulosam Romanorum a Trojanis et Venere originem carminibus velut consecrando, non minus romanæ superbiæ quam Juliorum ambitioni assentitur.

III. Atenim pulchra patrum facinora admirari, patriamque in præterito, ut ita dicam, amare, vulgaris ea virtus habetur, quæ cum non multum difficultatis habeat, ita parum laudis meretur. Ad præsentia tempora respiciamus oportet, ut quomodo sui in patriam amoris agendo vel scribendo civis quilibet periculum fecerit, æstimare possimus. Nec aptius quodpiam tempus reperiri potest ad id recte judicandum, quam ea plena turbarum tempora, quibus omnium rerum conversiones fiunt, ita ut civitatis imperium a pluribus ad unum vel ab optimatibus ab plebicolas transeat. Tunc enim multi factionum impetu quodam et errore abrepti, patriam funditus perisse lamentantur, quoniam ea sublata est forma et constitutio quam solam probant. Alii vero sapientius de patria sentiunt; dumque amissam deflent illam formam, qua sola patriam florere et vigere opinantur, non committunt tamen ut obliviscantur semper patriam exstare, licet externum habitum mutaverit. Patriam autem in-

(1) *Carm.* III, 3; cf. II, 1, 25; IV, 15, 29.

concusso semper amore diligere, dum ab inimicis hominibus eam prædæ haberi credis, quis neget ut laudabilem ita maxime arduam esse operam ? Equidem ausim affirmare eas publicarum rerum conversiones velut certissimam exsistere veri in patriam amoris obrussam. Haud aliter sentiebat agebatque magnus ille Romanorum orator, qui, oppressa a Cæsare re publica, ad litterarum studia confugiebat « ut prodesset civibus suis qua re cumque posset » (1).

Cum Horatii ætas in similes turbas inciderit, haud parvi momenti erit ad illud solvendum quod quærimus ea carmina excutere quæ de bellis civilibus a Philippensi clade ad Actiacam pugnam scripsit. Neque hic insudandum censeo, ut sciamus quo quodque carmen anno prodierit, ante an post Horatii cum Mæcenate et Octaviano amicitiam : cum enim res est quæ magis conjici quam certo constitui possit, tum parvi ad propositum refert. Non enim nunc quærimus quibus Horatius partibus adhæserit, sed quo se in patriam animo gesserit, dum bellis civilibus ea conflictaretur.

Vix Horatius, profligatis ad Philippos Bruti partibus, Romam redierat, attritas fortunas carminibus conscribendis reparaturus (2), cum, tota Italia dividendis inter veteranos agris turbata, Fulviaque consulem L. Antonium, Triumviri fratrem, adversus Octavianum acriter concitante, nova bella brevi exarsura inter Romanos intellexit (3). Non est quod miremur, si optimus quisque

(1) Cic., *de Divinat.*, II, 2, 7.
(2) *Epist.* II, 2, 50.
(3) App., *Bel. civ.* V, 18 seqq. — Dio. Cas., XLVIII, 9 seqq.

civis cædibus ac proscriptionibus vix elapsus, cum patriam ita fatis urgeri videret, in summam desperationem collaberetur. Horatius igitur, publici terroris conscius, juvenilique ardore et vehementissimo animi impetu correptus, quasi de re publica jam esset actum, in hoc carmen indignabundus erupit :

> Altera jam teritur bellis civilibus ætas,
> Suis et ipsa Roma viribus ruit (1).

Quid attineret civitatem ineluctabili quadam necessitate ad ruinam quasi præcipitem adactam ab impiis armis deterrere? Poeta, quo in patriam amore flagrabat, cum Romam exsulem quam nullam mallet, popularibus suadet ut, Phocæorum exemplo, in alias immigrent regiones, illudque consilium perficiant quod Sertorius recens agitaverat in Fortunatas insulas imperium transferendi (2). Quod si totam argumenti rationem, acerbissimum indignationis sensum, orationisque fervorem pensites, necesse est fatearis Horatium in illis, juveniliter forsitan, tamen civiliter egisse.

Cum bellum Perusinum prospere Octaviano cessisset, Sexto Pompeio Siciliam et maritimos commeatus tenente, perpetuo imminere bella civilia videbantur, fœdere Misenensi potius dilata quam transacta. Etsi nullum Horatii carmen est, quod illis cum S. Pompeio bellis

(1) *Epod.* 16. — Hoc carmen ad annum 713, sub initium belli Perusini, cum KIRCHNER (*Quæst. Hor.*, Naumburg, 1834, p. 22), FRANKE et ORELLI, inter alios, referendum censeo, licet MITSCHERLICH aliique an. 722 scriptum opinentur. Quicquid id est, nihil nostro proposito nocet : melius etiam cum Horatio ageretur, si eum adeo libere loqui crederemus, cum jam in Octaviani amicitiam venisset.

(2) PLUT. *Sert.* 9; — ACRON. *ad Epod.* 16, 43.

originem debere constet, tamen quid de *Neptunio duce* sentiret non omnino tacuit: « Is tum, ut ait Velleius, occupata Sicilia, servitia fugitivosque in numerum exercitus sui recipiens, magnum modum legionum effecerat; perque Menam et Menecratem, paternos libertos, præfectos classium, latrociniis ac prædationibus infestato mari, ad se exercitumque tuendum rapto utebatur, cum eum non depuderet vindicatum armis ac ductu patris sui mare infestare piraticis sceleribus » (1). Quam bellandi rationem a cive romano tam abhorrentem cum Horatius, ut par erat, indignissime tulisset, devictum servorum ducem quæsita acerbitate prosecutus est :

Ut nuper, actus cum freto Neptunius
Dux fugit, ustis navibus,
Minatus Urbi vincla, quæ detraxerat
Servis amicus perfidis (2).

Quibus versibus videtur mihi poeta satis luculentum sui in patriam amoris documentum dedisse; cum enim Bruti partibus, suis olim, semper parceret, nedum unquam insultaret, sola rei indignitas, habita patriæ ratione, eum adducere potuit ut tanto invidiæ acumine in Pompeium, alterum scilicet Brutianarum partium defensorem, inveheretur (3).

(1) VELL., II, 73; cf. D. CASS., XLVIII, 19.

(2) *Epod.* 9, 7; — cf. *Epod.* 4, 19.

(3) SALVERTE (*Horace et l'Emp. Auguste*, Paris, 1823), ultra modum severus in Horatium videtur, cum toto opere, tum præsertim quod ad id carmen attinet; dicit enim p. 40, poetam, ut Augusto gratum faceret, voluisse invidiam in eos conflare qui etiamtum S. Pompeii memoriam fideliter colerent. Pessimæ istius assentationis crimen nemini inurendum est, cum solis hariolantium conjecturis nititur.

Sublato S. Pompeio, Lepidoque armis primum exuto, deinde Circeios relegato (1), tota jam imperii moles ad Octavianum in Occidente, Antoniumque in Oriente reciderat. Cum vero in suprema potestate communicanda inter duos rara sit concordia, non diu obscurum fuit mox armis decernendum, utrius in arbitrium totius orbis imperium venturum esset. Qui fuerint in illo rerum articulo Horatii sensus, duo ante, duo pariter post Actiacam pugnam scripta carmina testantur : diversa utrorumque ratio discernitur, sed idem poetæ erga patriam affectus.

Cum jam bellum appeteret, essetque in promptu rem publicam in summum adductum iri periculum præsagire, miseranda illa patriæ vice permotus qua a bello ad bellum currere nunquam satiata suorum sanguine videretur, Horatius, proposita bellorum civilium atrocitate, cives suos ab impio consilio avertere omni ope omnibusque poesis viribus enisus est :

> Quo, quo scelesti ruitis, aut cur dexteris
> Aptantur enses conditi? (2).

Altero carmine, non jam indignationis aculeis, sed tenerrimis animi affectibus Romam, celeberrima navis allegoria usus, monet et precatur ne ad certissimam perniciem ruat. Fatendum est poetam vix melius potuisse suum patriæ amorem perspicuum facere, quam matris morem imitando, quæ, postquam in iras erupit, ad preces et lacrimas convertitur, quo filium a scelere effi-

(1) Suet., *Aug.*, 16.
(2) *Epod.*, 7.

cacius avocet. Quis id neget, his auditis versibus omni pietate plenis?

Nuper sollicitum quæ mihi tædium,
Nunc desiderium, curaque non levis (1)...

Dum anxii cives exspectant quo se Romæ fortuna vertat, repente nuntiatur ita ad Actium oppressas esse Antonianas copias, ut partim ad Cæsarem defecerint, partim cum suo duce salutem fuga petierint. Statim a metu respiratum est, Horatiusque, publicæ lætitiæ particeps, illum epodum conscripsit, quo Mæcenati victoriam opiparis epulis celebrandam suadet (2). Illud vero in eo animadvertendum est, quod, ut ferebat archilochii carminis natura, sensusque poetæ, primo victoriæ nuntio, parum sui compotis, non modo victorem supra Scipiones et Marios extollit, sed victum etiam omni indignatione obruere videtur :

Romanus, eheu! posteri negabitis,
Emancipatus feminæ,
Fert vallum et arma miles, et spadonibus
Servire rugosis potest :
Interque signa turpe militaria
Sol adspicit conopium.

Quod fœdum Romanis spectaculum eo usque exaggerat, ut contendat Gallogræcos, qui ab Antonio stabant, sola

(1) *Carm.* I, 14, 17. — Licet nullo argumento evincatur odarium illud anno 723 scriptum fuisse, tamen ad eam opinionem, utpote magis probabilem, accedimus, cum KIRCHNER (op. c. p. 22), MITSCHERLICH, FEA, JANI, ORELLI et WALCKENAER (*Hist. de la vie et des écrits d'Horace*, l. V, XVI). Utique constat, Quintiliani auctoritate (*Inst. or.* VIII, 6, 44) ibi allegorice Horatium loqui, et proinde illud carmen de bellis civilibus accipiendum esse.

(2) *Epod.* 9.

rei indignitate motos in Cæsaris castra transfugas ivisse.

Cum vero, proximo deinde anno, Romæ auditum est Octavianum ultimam bellis civilibus imposuisse manum, Antonium seipsum « non segniter interemisse, adeo ut multa desidiæ crimina, ut opinatur Velleius, morte redimeret (1) », Cleopatramque, manibus sibi illatis, triumphalem infamiam vitavisse, Flaccus alterum edidit carmen simili sane argumento, diverso tamen consilio (2). Namque de Antonio, ut cive de quo triumphandum non esset, nullum verbum facit, in unamque Cleopatram omnes insani illius belli causàs congerit; ita tamen, ut vitæ dedecus mortis fortitudini condonet. Quemadmodum igitur romanos sensus in canenda victoria profert, sic neque romanam clementiam obliviscitur, quam postea commendabit, et a diis precabitur, ut sit Roma,

> ... bellante prior, jacentem
> Lenis in hostem (3).

Sunt tamen qui existiment non parum Horatii auctoritatem eo elevari, quod non minus Octaviani quam Romæ prosperis rebus exsultare videatur. Alii etiam, cum reputarent ita Triumviri laudes a poeta extolli ut de Agrippa, vero illo victoriæ auctore, sileatur, atque in victos, et eos quidem cives romanos, omnia convicia, saltem in Epodis, jaciantur, eo usque Horatio diffisi sunt ut eum inde ab Actiaca pugna Augusti assentatorem ejusque laudum quasi bucinatorem exstitisse prædica-

(1) Vell., II, 87.
(2) *Carm.* I, 37.
(3) *Carm. sæc.*, 51.

rent. Quam opinionem, capite sequenti, ubi de *politica* Horatii ratione agetur, fusius et in universum excutiemus ; ut vero nunc incepta disputatio est, id tantum videamus numquid Octaviani laudes romanis Horatii sensibus ejusque in patriam amori officiant.

Primum omnium, concedamus oportet magis poetice, quam ut res ferebat, Antonii victorem laudari, cum inclitissimis Romæ ducibus anteponatur, nec omnem abesse assentationis suspicionem. Tamen, si rem attentius perscruteris, non desperaverim fore ut romanam mentem Horatio non abjudices. Etenim, saltem abhinc annis quinque, Octaviani partibus parum adversabatur poeta, ut parcius dicam, cum fateatur se, devicto ad Siculum litus Pompeio, sollemne convivium cum Mæcenate agitavisse (1) ; quod tamen nequaquam impedivit quominus rursus imminens bellum civile exsecraretur, et iis quidem verbis quæ non minus Octaviani quam Antonii arma impia declarare viderentur. Quid quod quarto post Actiacas res anno, cum Fortunæ supplicabit ut Augusto adversum Britannos bellaturo faveat, precibus suis acerbissimam domestici furoris memoriam intermiscebit ?

Eheu cicatricum et sceleris pudet
Fratrumque. Quid nos dura refugimus
Ætas ? quid intactum nefasti
Liquimus ?..... (2).

(1) *Epod.* 9, 7.

(2) *Carm.* 1, 35, 33. — Ita fere, *Carm.* 1, 2, 21, an. 725, vel 727, vel etiam 732 conscripto :

Audiet cives acuisse ferrum,
Quo graves Persæ melius perirent :
Audiet pugnas vitio parentum
Rara juventus.

Ex quibus pronum est cernere, ni fallor, vel inter laudes Augusti canendas, patriam Horatio obversatam esse, nec debito amore fraudatam.

Huc accedit quod ultimis bellorum civilium temporibus, ea fuit S. Pompeii et Antonii agendi ratio, ut jam monuimus, quam optimus quisque civis odisse et detestari deberet. Ille enim, vocandis ad arma servitiis, invidiosam Romanis rem peregerat, timoremque injecerat ne redirent Spartaci tempora et serviles tumultus ; hic vero, in omnem libidinum insaniam effusus, ita se ad Cleopatræ arbitrium finxerat ut impotenti mulieris ambitioni suffragaretur, cum de imperii sede Alexandriam transferenda cogitaret (1). Et cum Octavianus, ut erat in temporibus aucupandis callidus, rei invidiam in majus augeret, propriisque simultatibus obtenderet tuendæ patriæ necessitatem, nonne par erat eum civilium partium propugnatorem et publicæ libertatis vindicem existimare ? (2). Ut igitur, Romanorum sententia, in unum conspirabat Cæsaris et Romæ causa, ita Horatius in celebranda victoria, popularis lætitiæ quasi præconem se præbuit.

IV. Quod si in iis quæ ad bella civilia pertinent nimium immorari videamur, veniam non invidebunt qui quantum inde momenti et ponderis afferatur ad institutam quæstionem intellegent. Quæ vero ab actiacis rebus ad vitæ finem, per viginti ferme annos, carmina conscripsit Horatius, ea quo valeant melius æstimabimus

(1) D. Cass., l., 7. — Flor., iv, 11.

(2) Cf. Dio. Cass., l, 6, qui testatur non Antonio sed Cleopatræ bellum senatus consulto indictum esse ; et Vell. ii, 82, qui Antonium criminatur quod bellum patriæ inferre statuerit.

cum perspectum erit qua ratione in Augusti amicitia sit versatus poeta. Hic animadvertere satis sit, nullam adversus externos hostes apparari expeditionem quam votis non prosequatur, nullam nuntiari victoriam quam pronis laudibus non extollat. Sibi enim persuaserat Romæ addictam eam esse potentiam, quam Juno, post eversam Trojam, in deorum cœtu pollicita esset (1); divinoque fato Augustum obsequi, dum romanum imperium ad ultimos terrarum fines prolataret. Inde illi cum ceteris Italicæ gentis scriptoribus communis Romæ admiratio, communis amor, communis in ejus perennitatem fides. Quam omnibus cara fuerit Roma, quam valde se jactaverint in illa, tanta ad manum testimoniorum copia præsto est, ut vix potiora eligendi facultas detur. Postquam Vergilius cuncta Italiæ miracula enarravit, romana magnitudine attonitus, exclamat :

Scilicet, et rerum facta est pulcherrima Roma (2).

Propertius non minus in ejus laudes effusus :

Omnia Romanæ cedent miracula terræ,
Natura hic posuit, quidquid ubique fuit (3).

Ecquis ignorat Plinium Majorem, descripta præstantissimis imaginibus Italia, ubi de Roma dicendum est, hærere, quasi tantæ gloriæ laus omnis impar futura sit ? « Urbs Roma, ait, vel sola in ea, et digna tam festa cervice facies, quo tandem narrari debet opere ? » (4). Non dubitaverim tamen, in illo Romæ laudatorum choro,

(1) *Carm.* III, 3, 45.
(2) *Georg.* II, 534.
(3) PROP., IV, 22, 17 (ed. Luc. Mueller).
(4) *Nat. Hist.*, III, 5 (ed. Lud. Jan).

primas Flacco deferre. Quis enim pleniori ore, ut ita dicam, et profusiori admiratione, illam cecinit principem urbium (1), dominamque Romam? (2) quis Urbem laude adornavit, quæ magis illius magnitudini par inveniretur?

> Alme Sol, curru nitido diem qui
> Promis et celas aliusque et idem
> Nasceris, possis nihil urbe Roma
> Visere majus! (3).

De futura Romæ fortuna adeo non desperat, ut quam sibi gloriæ perennitatem polliceatur, eam Urbis æternitate communiri asserat :

> Usque ego postera
> Crescam laude recens, dum Capitolium
> Scandet cum tacita virgine Pontifex (4).

V. Non quod ingrati ac segnis animi vel in Italicas provincias, vel in eam quam dicit Cicero loci patriam, Venusiam scilicet, existimandus sit. Nunquam enim oblivisci videtur provincialium sanguinem cum romano sanguine in sescentis prœliis fusum esse (5), ut ingens ille in terrarum orbem dominatus Romæ pararetur. Rusticorum masculam militum prolem miratur (6), et Partho timendum esse Italum robur meminit (7). Multum quoque abest ut spretæ Venusiæ crimen merito in

(1) *Carm.* IV, 3, 13.
(2) *Carm.* IV, 14, 44.
(3) *Carm. sæc.* 9.
(4) *Carm.* III, 30, 7.
(5) *Carm.* II, 1, 29 seqq.
(6) *Carm.* III, 6, 37.
(7) *Carm.* II, 13, 18.

eum moveri possit, utpote qui eam, quam in conscribendis carminibus assecutus est gloriam, cum ignobili adhuc patria grato admodum animo communicare videatur. Hasce enim Apollini preces adhibet :

Dauniæ defende decus Camenæ (1) ;

et cum sibi immortale futurum nomen auguratur, gaudet quod secum comitem laudis Venusiam in omne ævum trahet :

Dicar qua violens obstrepit Aufidus
Et qua pauper aquæ Daunus agrestium
Regnavit populorum, ex humili potens
Princeps Æolium carmen ad Italos
Deduxisse modos... (2)

Cavendum est tamen ne grata ea, quam Horatius persæpe testatur, patriæ memoria in errorem inducti, amarum nescio quod illi subesse amissæ quondam a provinciis libertatis desiderium arbitremur. Rectius sentiamus, si neminem Italicum profiteamur disertius scriptis suis affirmare Latini nominis provincias in unum regni corpus, sub romanis legibus, coaluisse. Ne vestigium quidem veterum inimicitiarum superesse dicas; adeoque civitates, permultis cædibus antea contritæ, romanum ferre jugum dominæque Romæ parere assueverunt, ut laudi sibi ducant quod in imperii societatem vocentur. Jam enim id factum est juris et utilitatum consortium, ut Roma et Italia simile quid sonent, cum Flaccus exclamat :

Longas o utinam, dux bone, ferias
Præstes Hesperiæ (3),

(1) *Carm.* IV, 6, 27.
(2) *Carm.* III, 30, 10 ; cf. IV, 9, 1 seqq.
(3) *Carm.* IV, 5, 37.

vel cum Augusto gratulatur veteres revocatas artes,

> Per quas Latinum nomen et Italæ
> Crevere vires famaque et imperi
> Porrecta majestas ad ortum
> Solis ab Hesperio cubili (1).

Hinc illud est quod Horatius, natalibus provincialis homo, licet priori patriæ justas persolvat grates, tamen superbia efferri videtur, quoniam Roma, princeps urbium, Venusinum dignatur inter amabiles vatum choros ponere (2); neque ullam potiorem gloriam censet, quam quod ibi monstratur digito prætereuntium Romanæ fidicen lyræ. Nonne ea est in lyricis Flacci carminibus patria quam Tullius effingi dicebat ex arta quadam Romæ cum Italicis provinciis conjunctione? Quam quidem jam Ciceronis ætate inceptam, Augusti temporibus consummatam videmus, donec, civitate externis populis promiscue data, vix ullus patriæ in animis proprius relinquatur locus.

(1) *Carm.* IV, 15, 13.
(2) *Carm.* IV, 3, 13 seqq.

CAPUT IV

QUALIS HORATIUS IN POLITICIS REBUS VERSATUS SIT

I. Hujus quæstionis momentum et difficultas; variæ de ea opiniones. — II. Horatius, primo Octavianis partibus invisus, deinde in Mæcenatis amicitiam receptus, tandem Augusti laudator. — III. Quænam rerum adjuncta laudes illas excusare videantur : publicus in Augustum favor, Brutianorum ad Augusti partes accessio, callidissima Augusti agendi et administrandi ratio, fidus et gratus Horatii vel inter Augusti laudes in Brutianos animus. — IV. Horatius suis carminibus Augusto adstipulatur, dum illius inimicos ad epicuream inertiam cohortatur, Augusteas leges commendat, victorias celebrat. — V. Utrum venalis assentator fuerit, an sincerus laudator.

I. Cum, proximo ante capite, quo in patriam animo fuisset Horatius expenderemus, non semel alteram offendimus quæstionem cum priori adeo arte copulatam ut non sine nisu quodam separari et in præsens omitti potuerit. Hæc illa quæstio est : cum Flaccum constet, primis adulescentiæ annis, a Brutianis partibus stetisse, atque pro libera re publica stipendia meruisse, qui factum est ut tam effusus in Augusti laudes inveniretur? Si fidem libertati datam exsolvit, quomodo Romanum etiamtum agnoscamus? Si autem poetico mendacio usus, ita Au-

gustum laudavit ut aliud ore, aliud pectore gereret, quid istis sensibus fiet, quos adeo in patriam constantes lyricis carminibus exhiberi diximus? A Charybdi, ut aiunt, in Scyllam Horatii memoria incurrere, neque levitatis culpa purgari posse videtur, quin mendacii labe turpis prodeat. Inde apparet quanti futurum sit momenti qualem se, quod ad civiles partes attinet, gesserit poeta definire; in hac enim quæstione quasi cardinem causæ, quæ disputari cœpta est, versari fateor.

Quemadmodum vero ea res est ad nostrum propositum maxime conducibilis, ita plurimis difficultatibus intricata; quominus enim de externis horatianæ vitæ condicionibus recta sentiamus, recta judicemus, illud obstare videtur quod testimonia de illis proferendâ pauca admodum nec ita indubitata reperiuntur. Exstat sane Horatii vita a Suetonio scripta, sed quæ multo artioribus circumscribitur terminis quam ut institutæ quæstioni multum lucis afferat. Adsunt quoque poetæ carmina, ex quibus singulis quid hac, quid illa hora senserit melius nosse tibi videaris; sed si pauca excipias, quæ satis per se declarant quibus profecto rebus suam originem debuerint, tantum abest ut ceteris suum constet tempus, ut plurimæ etiam inde exortæ lites vix certo judicio a doctissimis Horatii interpretibus compositæ sint (1). Quapropter nihil mirum, quod qui Horatii agendi rationem æstimandam susceperunt, in tam diversas abie-

(1) Cf. præsertim KIRCHNER, *op. c.*; FUERSTENAU, *De Carm. aliquot Hor. chronol.* (Hersfeld., 1838); WALCKENAER, *op. c.*; VANDERBOURG, *Odes d'Hor. trad. en vers fr.*, 3 vol. (Paris, 1812-1813); FRANKE, *Fasti Horatiani* (Berol., 1839); PATIN, *Œuvr. d'Hor.* préf., etc.

runt sententias. Alii enim illud insimulant, quod, proditis libertatis fautoribus, suis olim commilitonibus, venalem suam operam stabiliendo Augusti imperio præstiterit (1); alii vero utraque culpa ita poetam liberant, ut neque erga priores amicos fidelitatem, neque in prædicandis Augusti virtutibus dignitatem illi defuisse arbitrentur (2). Reputanti unde tanta nasci potuerit opinionum diversitas, id mihi satis probabiliter statuendum videtur. Illi quidem, historica ratione utentes, Horatio historici personam vel inviti induerunt, curiosiusque perscrutati sunt num semper ad sacrosanctam hance legem respexisset, quæ vetat « ne quid historia falsi audeat, deinde ne quid veri non audeat; ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis » (3); cumque, in judicandis Augusti rationibus et actis, magis æstimarent quid de iis sentiendum sit, quam quid reapse sensissent communiter illius ætatis Romani, eo adducti sunt ut severius cum Horatio agerent. Hi autem, qui meminissent ab eo poetæ, non historici, partes susceptas esse, poetici moris habita ratione, quæsiverunt utrum laudandi licentiam ad projectam usque adulationem protraxisset, perpensisque Romanorum de Augusto opinionibus, Horatium indulgentius excusatum dimise-

(1) Dusaulx, *Mém. de l'Acad. des Inscript. et B. L.*, t. XLIII; Salverte, *op. cit.* passim; J.-J. Ampère, *L'empire romain à Rome* (Paris, 1867); Beulé, *Auguste, sa famille et ses amis* (Paris, 1867), etc.

(2) Vanderbourg, *op. c.* passim; Walckenaer, *op. c.* passim; Daunou, *Journal des Sav.*, nov. 1823; H. Rigault, *Œuvres compl.* II, p. 239 sq.; Courdaveaux, *Caract. et Talents*, 1867, pass.; Patin, *Œuvres d'Hor.* I, p. XX sq., etc.

(3) Cic., *De Orat.* II, 15.

runt. Utra judicandi poetæ ratio magis cum æquitate consentanea sit, primo statim intuitu cernitur. Quamobrem ita disputationem instituamus, ut complectentes animo quæ scripsit Horatius, quæ de eo apud Suetonium legimus, quæque sui de Augusto senserunt æquales, neque ad censoriam severitatem, neque ad nimiam indulgentiam deflectamus.

II. Primum omnium, lûce clarius patet Venusinum poetam non Catonem fuisse aliquem, cui victa causa magis placeret quam victrix diis, quique, ne in domini arbitrium incideret, gladium haberet libertatis assertorem (1). Neque enim is erat qui nascendi condicione rei publicæ factionibus addictus esset ; libertino patre natus, Romamque e provincia adductus, ab hereditariis vel civilibus quibusvis partibus liber erat. Ad diligendam patriam certe optimi patris consiliis informatus, ab eo didicerat eam esse demum honestam diligendæ patriæ rationem ut publicæ utilitates privatis simultatibus utique anteponerentur. Verum cum Athenis, in vetere illo libertatis domicilio, inter ferventiores adulescentium stirpis patriciæ cœtus, occisum esse, qui patriæ tyrannus ferebatur, Cæsarem audisset, Brutumque videret certatim coli ut deum aliquem cælo dilapsum (2), nomen militiæ dedit, juvenili magis impetu, quam obstinato in libertatem amore impulsus. Sciunt omnes quo furor ille militandi reciderit :

> Civilisque rudem belli tulit æstus in arma,
> Cæsaris Augusti non responsura lacertis (3).

(1) Sen., *Epist.* 13, 14.
(2) Dio. Cass., xlvii, 20.
(3) *Epist.* ii, 2, 47.

Cum alii, post Philippensem cladem, victoribus ultro se dedissent, alii ad S. Pompeium in Siciliam, bellum persecuturi, transissent (1), Horatius, qui ultimæ necessitati cedendum intellegeret, medium quoddam iter deditionem inter et obstinationem tenens, Romam rediit; eoque facto ostendit, si unquam in Octaviani partes concederet, non sine dignitate deditionem futuram. Armis positis, factionum insaniæ valedixit, et in id totus incubuit, ut patriam a civilibus bellis avocaret. Tamen quia aliquando tandem Cæsaris imperium carminibus cecinit, ansam ad reprehendendum dare visus est. Ut intellegatur jure an injuria suam Horatio sententiæ commutationem crimini verterint, in memoriam revocemus oportet quo primum anno Octaviani partibus adhæserit, quemque modum principis laudibus statuerit.

Fateor equidem, si statim post Brutum mortuum, Valerii Messalæ, Ælii Lamiæ et aliorum exemplo, ad victorem defecisset, vix eum habiturum quo levitatis vel proditionis crimen propulsaret. Sed quanquam macro agello spoliatus unam reficiendæ fortunæ viam cernebat, si in virorum potentium amicitiam se insinuaret, maluit sibi potentiorum patrocinium præcludere, quam Cæsarianis assentari. Cum enim omnes bellorum civilium fautores pari odio persequebatur, tum præcipue, primis saltem annis postquam Romam redierat, Tigellium, Cupiennium, Sallustiumque, scilicet Octaviani amicos, satirico carmine discerpebat (2). Quin immo, si fides veteribus scholiastis habenda est, ne Mæcenati quidem

(1) Dio. Cass., xlvii, 18-19; cf. Vell. ii, 71; *Carm.* ii, 7.
(2) *Sat.* i, 2.

pepercit, quem ficticio Malthini nomine, ob fluxam mollitiem, deridendum propinavit; consentiuntque fere interpretes, Octavianum ipsum, adulteriis famosum, tecte a poeta suggillari. Cujus satiræ nullam rationem habuisse videntur, qui hariolati sunt primo post Philippensem pugnam anno scriptum esse carmen quo poeta Octavianum patrem patriæ Cæsarisque ultorem salutat (1). Ut enim tota hujus carminis ratio remotius ab his annis tempus non declararet, nihilominus clarius ex illa satira patet quo tum in Cæsarianos animo esset, quam ut suspicemur potuisse Horatium iisdem annis tam pronis laudibus Octavianum extollere. Quicquid Horatii obtrectatores afferunt, nullo prorsus testimonio evinci potest eum per tres annos vel minimum in Cæsaris partes inclinavisse.

Anno demum 716 (2), id Horatio accidit, quod ipsius de Octaviano sententiam, non dicam, mutatam, sed serius, vellet nollet, mutandam nuntiaret. Mæcenas enim, qui sibi eam provinciam assumpserat ut, præclaris poetis favendo, eos vicissim novarum rerum fautores haberet, Venusinum poetam a Vergilio Varioque commendatum, in suorum numero esse jussit (3). Quod quidem patrocinium Cato detrectasset, id Horatius, quasi nihil inde apud posteros infamiæ oriri posse confi-

(1) *Carm.* I, 2; — inter quos FUERSTENAU, *op. cit.* — Contra, DACIER, FRANKE, ORELLI ad annum 725; alii, ad 727; alii, inter quos MASSON et VANDERBOURG, ad an. 732 illud referunt.

(2) *Sat.* II, 6, 40 (scripta, ut ex vers. 55-56 patet, anno 723) :

> Septimus octavo propior jam fugerit annus
> Ex quo Mæcenas me cœpit habere suorum
> In numero...

(3) *Sat.* I, 6, 61.

deret, grato admodum accepit animo. Qui eo nomine Flacco crimen intentant, oblivisci profecto videntur sollemnem poetarum morem fuisse ut se in potentium civium clientelam conferrent. Et vero neque ex Suetonio, neque ex ipso Horatio, tam candido propriæ vitæ scriptore, elicere quicquam possis quod suspicionem faciat invidos, qui affatim fuerunt, idcirco illi suscensuisse, quod, Mæcenati adhærendo, Brutianarum partium transfuga esse videretur. Verum, quamvis alienos ab Octaviano animos diu habuerit, vix fieri poterat ut paulatim callidis Mæcenatis artibus mitior non efficeretur. Jam notavimus eum, post bellum Siculum, instructis a Mæcenate ad victoriam Cæsaris celebrandam epulis interfuisse. Tamen nullo carmine ante Actiacam pugnam, ne illo quidem epodo quo profecturum adversus Antonium amicum prosequitur, quicquam vel parcioris laudis Octaviano tribuit. Necesse fuit præclarissima intercederet victoria, et ea quidem civilibus bellis finem datura, ut tamdiu expetitæ laudes poetæ pectore erumperent.

III. Qui adulandi studium in iis laudibus arguunt, adeant rerum romanarum scriptores, unde discant vix Horatium publicæ lætitiæ modum assecutum esse. « Cæsar, ait Velleius (1), reversus in Italiam atque Urbem, quo occursu, quo favore omnium hominum, ætatum, ordinum exceptus sit; quæ magnificentia triumphorum ejus, quæ fuerit munerum, ne in operis quidem justi materia, nedum hujus tam recisi, digne exprimi potest. » Si fidem Velleii, utpote in Cæsarum laudes

(1) Vell., II, 89.

promptioris, suspectam habeas, testem assumas licet Dionem Cassium (1), qui, dum fusius evolvit quæ senserint de Octaviano Romani, quæ in ejus honorem decreverint, Horatio excusationem parasse videtur. Ac ne historiam toties pertractatam retexere dicamur, ea tantum seligamus quæ, ut Cassianæ narrationis summam continent, ita proposito aptissime conducunt. — Dum Romæ Cæsari triumphus paratur, ii publice eruperunt Romanorum sensus, tanquam omnium malorum obliviscerentur (2); atque inter omnes honores quos victori duci senatus impensius obtulit, illud peculiariter decretum fuit, ut in hymnos juxta cum diis immortalibus ipse adscriberetur (3). Quæ cum ita se habuerint, vix mihi temperare possum quin injustissimam Horatio litem intentari dicam, cum arguatur nefarias Triumviri proscriptiones oblivioni dedisse, quas alii pariter obliviscì inter triumphi apparatus visi sunt, eumque in carminibus locum Augusto tribuisse quem in hymnis sacris tribuendum senatus censuerat.

At enim, ne publicæ illi assentationi operam navaret, obstabat anteactæ vitæ ratio, Bruti memoria, paterni ruris publicatio. Quid postea? Si patriæ caritas illud postulare videatur, ut præterita oblivione conteras, præsentia pro virili parte adjuves, nonne sapienter et civiliter agit, qui patriæ condonat illusas partium spes? Neque vero mihi in animo est toties agitatam de Cæsariani imperii æquitate vel iniquitate quæstionem utcum-

(1) Dio. Cass., li, 19-21.

(2) *Ibid.*, 21. « Τῶν τε δυσχερῶν πάντων οἱ Ῥωμαῖοι ἐπελάθοντο. »

(3) *Ibid.*, 20. « ἐς τε τοὺς ὕμνους αὐτὸν ἐξ ἴσου τοῖς θεοῖς ἐσγραφεσθαι. »

que dirimere ; satis est, si statuere probabiliter possimus communi graviorum hominum existimatione judicatum post actiacas res fuisse nihil magis e re publica videri, quam ut in Octaviani imperio acquiescerent. Jam vero quis illud neget? Obversabantur Horatio plurima hujusce rationis quæ sequeretur exempla, et ea quidem ab illis data, qui amplissimum inter libertatis defensores locum obtinuerant. Mitto quidem illos bellorum civilium desultores, qui, ut partes mutarent, tempora aucupabantur (1). Sed jam inde a Philippensi pugna, multi Messalam imitati, optimæ notæ virum, a Brutianis ad Cæsarianos transierant. Quid dicam de Marco Cicerone, qui, quamvis proscripti patris memoria longe ab Octaviano arceri videretur, tamen eodem actiacæ pugnæ tempore, consulem se renuntiari passus erat? (2). Prava ambitione an sincero in rem publicam amore, satis incertam rem esse non negaverim ; sed quidni Horatius id sibi licere in carminibus crederet, quod proscriptorum filios in publicis officiis agere cerneret? Verum parum auctoritatis Ciceronis exemplum habuerit ; nonne Atticus, Ciceronis amicissimus, in Octaviani familiaritatem concesserat? (3). Nonne Asinius Pollio, vir ingenio et gravitate præstantissimus, quem Horatius magis suspiceret an diligeret incertum est, palam affirmaverat ante

(1) Sen. rhet. *Suas. I.* « Dellius, quem Messala Corvinus desultorem bellorum civilium vocat. »

(2) Dio. Cass., li, 19.

(3) Corn. Nep., *Att. Vit.* 20. — Cf. Fialon, *Thesis in T. P. Atticum*, p. 68, ubi, exquisito judicii acumine, Atticum neque censorie damnat, neque indulgentius absolvit, sed potius, habita temporum ratione, excusat.

actiacam pugnam se prædam victoris fore? (1). Scio inter recentiores non paucos credidisse Pollionem adeo victori non adhæsisse ut vehementer in illum inimicitias exercuerit (2); sed verisimile admodum est inde natam esse inimicitiarum famam quod nullo magistratu functus sit, dum Augustus principatum gereret (3). Neque quicquam obstare censuerim, quominus veteri Horatii vitæ scriptori confidamus, qui diserte testatur eum « Mæcenatis et Pollionis interventu in gratiam Augusti receptum esse » (4). Non desunt igitur qui viam Horatio ad laudes Augusti celebrandas præmunivisse videantur; neque me intellegere fateor cur in hunc potius culpam, si culpa est, quam in illos congeramus.

At repentem illam tot et tantorum vivorum ad Augustum defectionem, quam vocant, mirari solent qui rem potius ex perfecta quadam dignitatis ratione æstimant, quam ex vera illorum temporum condicione. Neque enim fieri potest ut diffitearis, nisi plane in rebus romanis hospes sis, maximam Romanorum partem, cum patriam viderent tot civilibus discordiis pene ad nihilum redactam, cuncta in præsens incerta, atque in futurum spem status melioris nullam, amore patriæ, tædio belli, studioque otii ad unius potestatem quasi optatissimum felicitatis portum confugisse. Illud vero omnium in Augustum studia accendebat, quod princeps ille, exquisita

(1) Vell., II, 86.

(2) D'Hendecourt, *Dissert. de vita, gestis et scriptis As. Pollionis*, p. 49 (Louv. 1858).

(3) Cf. Aulard, *De C. A. Pollionis vita et scriptis*, p. 33 (Paris, 1877).

(4) *Vit. Horat.*, apud Vanderbourg, *op. c.*, t. I, p. 54.

utens calliditate, in cunctis ita se gerebat ut dissimularet imperium simularetque veterem rei publicæ libertatem. Cum igitur de reddenda re publica cogitaret (1), dictaturam, magna vi offerente populo, genibus obvolutus deprecaretur (2), dominique appellationem ut maledictum et opprobrium semper exhorreret (3); cumque comitiorum pristinum jus reduceret (4), proximumque a diis immortalibus honorem memoriæ ducum præstaret, qui imperium populi romani ex minimo maximum reddidissent et ipsius Pompeii statuam contra theatri ejus regiam collocaret (5), nonne credere fas erat, eatenus tantum Cæsaris hereditatem ab Augusto susceptam esse quoad occiso patri parentaret, rem vero publicam ad veterem libertatis rationem revocaret? Huc accedebat quod Principis adjutores et administri tam probe ejus voluntati obsequebantur, ut populus abesse libertatem vix intellegeret; auctor est Dio Cassius Agrippam, cum Augusto perinde imperium stabiliret ac si absolutam potestatem vel maxime probaret, ita populum beneficiis sibi devinxisse ut omnium maxime popularis judicaretur (6). Nihil dicam de Mæcenatis artibus, qui, equestri ordine contentus, ad hoc vivere, ad hoc spirare videbatur, ut gratam omnibus efficeret Augusti potestatem. Nos quidem tot sæculorum spatio a miseris illis temporibus

(1) Suet., *Aug.* 28.
(2) *Ibid.*, 52.
(3) *Ibid.*, 53.
(4) *Ibid.*, 40. — Cf. Dio. Cass., lvi, 43.
(5) *Ibid.*, 31.
(6) Dio. Cass., liv, 29. « Τὸν δῆμον εὐεργεσίαις, ὡς καὶ δημοτικώτατος, προσεποιήσατο. »

distantes, unoque quasi intuitu fœdissimas Triumvirorum proscriptiones et Principis imperium tanto favore exceptum cernentes, miramur admodum quod tam facile Romani in Augusti gratiam Octavianum absolverint; sed præterquam quod ejusmodi miracula non omnino posthac defuerunt quæ Romanorum inconstantiam explicarent, ne obliviscamur eam ab Augusto in regnando modestiam, eas in edicendis legibus adhibitas artes esse, quæ vix apud ipsius imitatores repertæ sint. Unum sufficerit memorare : post actiacam victoriam, cum sextum consul denuntiatus esset, nihil magis ad præteritorum scelerum oblivionem profuturum intellexit, quam si ipse publice illa ejurare videretur; quæ igitur in triumviratu injuste et inique constituta fuerunt, unico edicto ea omnia antiquavit (1). Neque res Augusti spem fefellit; præterita oblivisci, postrema meminisse Romani didicerunt, quasi nihil Principi cum Triumviro fuisset; quid mirum, si poeta sensim in communem errorem delapsus est?

Ceterum, num unquam Horatius, vel cum jam gratia apud Augustum floreret, adeo romanæ dignitatis est oblitus, ut eos quibuscum ad Philippos pugnaverat erubesceret, liberæque rei publicæ partes a se quondam susceptas, quasi reus ad pœnitentiam adactus, ejuraret? Id asserere ausi sunt qui inconsultius quam criticos decet facetam fugæ confessionem et illud toties decantatum « relicta non bene parmula » in deterius acceperunt (2). Sed jamdudum a doctissimis viris explosa est

(1) Dio. Cass., liii, 2.

(2) II, 7, 9. — Beulé, *op. c.*, p. 299, Horatium arguit fugam mentitum esse ut exquisita assentandi ratione Mæcenatis et Au-

iniqua ista interpretatio (1); ac, ne in re confecta insudemus, illud tantum reminiscamur, poetam, dum Archilochi (2), Alcæi (3), Anacreontisque (4) exemplo fugam confitetur, laudem victis haud parciorem impertiri, his verbis pugnam philippensem designando : *Cum fracta virtus*. Quis ingrati in Brutum animi insimulare eum sustineat, qui apud Mæcenatem tam candide suum in Brutiano exercitu tribunatum commemorat (5), et vicesimo post illam militiam anno, in eodem honoris gradu victos et victores ponit, dum gloriatur

Se primis Urbis belli placuisse domique ? (6)

Cassium Parmensem, strenuum libertatis propugnatorem qui a Philippis in S. Pompeii exercitum se receperat, libera voce laudat (7), quamvis Augusti jussu trucidatus esset. Quis nescit pertinacissimum Cæsaris inimicum, magnum Catonem, vix meliorem repperisse suarum laudum præconem, neque in illo solum carmine quod

gusti risus moveret. — J.-J. Ampère, *op. c.*, alia ratione pariter in Horatium invehitur.

(1) Cf. Weichert, *de Vario poeta*, p. 37. — Patin, *Journ. des savants*, janv. 1842 ; *Œuvres d'Hor., Et. sur la Vie et les œuvres d'Hor.*, p. xviii.

(2) Gaisford, *Poet. min. Græc.* (Lips. 1823), vol. III, p. 90.

(3) *Ibid.*, p. 329 ; cf. Herod. v, 95.

(4) Muret, *Var. lect.*, l. IX, c. 11.

(5) *Sat.* 1, 6, 48.

(6) *Epist.* 1, 20, 23.

(7) *Epist.* 1, 4, 3 (scripta inter annos 728 et 734) ; cf. Weichert, *de Cass. Parm.*, p. 268. — Salverte, *op. c.* Horatio crimen intentat quod *Sat.* 1, 10, 62, mortuo Cassio Parmensi insultaverit ; verum nemo nescit ibi de Cassio Etrusco mentionem fieri, non de Parmensi qui an. 723 quo scripta hæc satira est (secundum Weichert et Kirchner, secundum Franke an. 719) adhuc vivebat.

Pollioni inscribitur (1), sed in eo etiam quo Augustus, velut heres Cæsaris, secundus a Jove, orbem regere dicitur (2). His exemplis efficitur ut procul dubio asseverare possimus Flaccum grata semper memoria libertatis defensores prosecutum esse, nedum unquam recentium amicorum gratia veteres cum Brutianis necessitudines dissimulaverit (3).

Fuerunt tamen inter recentes qui, veteribus scholiastis incautius credentes, prædicarent Bruti commilitonem, aulicum factum, pessimo assentandi genere, Octaviani inimicos non semel sale perfricuisse. Sic Labeonem, incorruptæ libertatis virum (4), qui ne Augusto quidem cedere sustinuit (5), insanissimum inter sanos vocat (6); sic etiam in Cassium Severum, dictorum acerbitate scriptorumque procacitate notum, archilochio carmine invehitur (7). Sed utramque litem docti viri ita diremerunt ut nihil inde detrimenti Horatii memoria patiatur (8). Quod ad Laberii mimos pertinet (9), nominis parum apud principem gratiosi, facile concesserim justæ severitatis modum in iis judicandis poetam egredi; quid

(1) *Carm.* II, 1, 23.

(2) *Carm.* I, 12, 35.

(3) WALTZ, *op. c.*, p. 2. « C'est un spectacle curieux que cette conversion lente d'un honnête homme, qui ne lui coûte pas le sacrifice de son indépendance, et qui ne porte aucune atteinte aux affections et aux souvenirs d'autrefois. »

(4) TAC., *Ann.* III, 75.

(5) DIO. CASS., LIV, 15.

(6) *Sat.* I, 3, 82.

(7) *Epod.* 6.

(8) Cf. ESTRÉ, *Hor. prosopogr.*, p. 187 et 179. — ORELLI, ad l. c.

(9) *Sat.* I, 10, 6.

autem opus est ignavam adulandi voluntatem causari, cum Cicero nihilo parcius eosdem derideat? (1). Aliud vero crimen ex ipso Ciceronis nomine exoritur. Notissima omnibus res est adeo magni oratoris memoriam Augusto invidiosam fuisse, ut ipsius nepotes in secreto ædium divina Tullii scripta furtim evolverent, quæ in Verrii Flacci schola legere non licebat (2). Inde est, ut aiunt, quod Vergilius romanæ gloriæ amantissimus, oratoriam laudem suis civibus invidet (3), Ovidiusque semper Ciceronis nomen alto premit silentio. Nonne tacita quædam intercessit conjuratio, ne in canendis patriæ gloriæ auctoribus romana Musa unquam illud nomen proferret, quod Triumviri animum acerbissima memoria remorderet? Nonne Horatius ipse conjurationis reus habendus est? Clarissimi consulis laudibus nec materies deerat, nec locus; cur igitur inter illos Urbis fastos quos sæpius evolvit, nulla unquam clara Ciceronis mentio incidit? Non equidem satis probabilem hujus silentii causam video; sed neque abjectæ assentationis crimen Augusti amico ausim hoc nomine inferre. Si Octaviani dolori parcendum censuit, id urbani amici, non adulantis fuit.

IV. Quicquid id est, citra omnem controversiam stat Venusinum poetam, post actiacam pugnam, inter præcipuos novi principatus defensores adjutoresque versatum esse. Quemadmodum Agrippa invictis armis, Mæcenas callidis artibus, ita Horatius elegantissimis

(1) *Ad divers.* XII, 18.
(2) PLUT. *Vit. Cic.* 46.
(3) *Æneid.*, VI, 849.

carminibus egregiam Augusto navavit operam. Profligatis Bruti et Antonii partibus, restabat ut ægri victorum animi demulcerentur, mores bellis civilibus corrupti religionum cærimoniis et legum frenis restituerentur, denique victoriis ex imperii hostibus relatis, grata, et, si ita loqui licet, popularis fieret Principis potestas : quicquid autem molitus est Augustus, in id omne incubuit, neque unquam proposito Horatius defuit.

Dum Octavianus, reversus ab Oriente et cunctarum rerum potestatem falsis nominibus adeptus, omni ope et opera nititur ut præstantissimos devictarum partium superstites viros ad se alliciat, et ad communicandos honores invitet, Flaccus, quasi propositi conscius, hunc ad præteritorum oblivionem, illum ad meliorem spem provocat. Ita L. Sestium, qui pro quæstore in Bruti castris militaverat, et sui ducis imagines grata memoria colebat (1), hortatur poeta ut genio indulgeat, brevitatis vitæ eum admonens :

Vitæ summa brevis spem nos vetat inchoare longam (2).

Qui veterem sub Bruto militiam sensim oblitus est, et ab Augusto tandem consulatum accepit. Munatii quoque Planci, qui, ut ait Velleius (3), morbo proditor, toties ab aliis ad alios transierat, ægrimoniam consolari studet, dum invitat ut molli mero finire meminerit

Tristitiam vitæque labores (4).

Haud aliter Pompeio Varo, veteri commilitoni, oblivio-

(1) Dio. Cass., liii, 32.
(2) *Carm.* i, 4, 15.
(3) ii, 83.
(4) *Carm.* i, 7 ; cf. Orelli ad l. c.

sum Massicum suadet (1). Quis ignorat Licinium Murænam, Terentiæ Mæcenatis uxoris per adoptionem fratrem, turbulentum hominem, linguæ in Augustum impotentem, postquam cum Cæpione conjurasset, a Tiberio reum factum, morte damnatum esse? (2). Male Horatii consiliis paruerat, qui notissimo carmine moderationem illi et præsentium tolerantiam commendaverat (3). Nemini dubitare licet quin poeticæ illæ ad oblivionem et epicuream inertiam invitationes haud mediocriter ad sananda animorum vulnera contulerint.

Sed alia obversabantur vulnera, tristissima bellorum civilium vestigia, quibus medendis et tollendis multo acrior impendi cura debebat. Jacebant deorum templa, jacebant prolapsi civium mores. Legibus et decretis poterat victor princeps malo occurrere, sed, ut aiebat poeta, quid leges sine moribus vanæ proficiunt? (4). Hoc opus, hic labor Augusto fuit ut moribus publicis mederetur, et per mores præscripta legum firmaret. Quis autem censoriæ illius potestati præstantiorem operam adhibuit, quam lyricus vates qui modo omni acerbitate in morum corruptelam invehitur (5), et emendatorem magna voce exposcit (6), modo latas leges omni plausu excipit? (7).

(1) *Carm.* II, 7, 21.
(2) Dio. Cass., LIV, 3; Vell., II, 91.
(3) *Carm.* II, 10.
(4) *Carm.* III, 24, 35.
(5) *Carm.* II, 15, 18; III, 1, 38; 6.
(6) *Carm.* III, 24, 25 :

O quisquis volet impias
Cædes et rabiem tollere civicam,
Si quæret *Pater urbium*
Subscribi statuis, indomitam audeat
Refrenare licentiam...

(7) *Carm.*, IV, 5, 15.

Ratus sine deorum cultu nihil ad corrigendos mores in legibus auxilii futurum, Augustus collapsa templa reficit, nova exstruit, et opulentissimis donis exornat (1); Horatius præsto est qui obsoletis cærimoniis sacrorum carminum decus adjiciat. Templum in Palatio Apollini pro Actiaca victoria princeps dedicat, hymnum canit poeta (2). Ludos sæculares edicit Augustus, cujus ad nutum Horatius carmen cŏmponit (3). Nec sui ceteris diis desunt honores : Fortunæ, antiquæ illi Latinorum deæ (4), Junoni Lucinæ (5), Mercurio (6), Neptuno (7) quoque hymni inscribuntur.

Haud segnior poeta invenitur, cum aliqua nuntiatur victoria principis ductu vel auspiciis reportata. Noverat Augustus nihil magis ad triumviratus oblivionem et principatus firmamentum conferre, quam si Romanis, qui in omnes populos imperium deorum jussu affectabant, persuasum esset per ipsum et suos illud pari imperium. Mire igitur cum ejus voluntate conspirat poeta, victoriarum præco paratus. Consilium agitat Augustus adversus Britannos eundi, ut opus a parente inchoatum perficiat (8); statim faustam expeditionem Flaccus a Fortuna flagitat (9); cumque Britannorum legati, officiosa dedi-

(1) Suet., *Aug.* 29, 30. — Cf. *Monum. Ancyr.*
(2) *Carm.* I, 31.
(3) Suet., *Vita Hor.*
(4) *Carm.* I, 35.
(5) *Carm.* III, 8.
(6) *Carm.* III, 11; I, 20.
(7) *Carm.* III, 27.
(8) Dio. Cass., LIII, 22.
(9) *Carm.* I, 35, 29.

tione suam insulam romani juris fecerunt (1), adjectos imperio Britannos exsultantius poeta Augusto gratulatur (2). Ardua res fuit pervincere Cantabros, indoctos juga ferre romana (3), ante Augustum non domabiles (4); quare redeuntem ab Hispania principem, quasi victorem Herculi parem, salutat (5). Quanta admiratione et superbia reddita a Parthis signa celebrat (6), quamque pronis laudibus divinum illum ducem prosequitur, qui, sine sanguine, solo nominis sui terrore, tantam victoriam peperit! Neque Augusto satis erat, suam laudem bellicam extolli; magni ad suas res ducebat interesse, si bene fixum in omnium animis esset, se mortuo, remansuros in propria domo qui molem imperii sustinerent. Quamobrem qui « componi aliquid de se, nisi et serio et a præstantissimis, offendebatur » (7), a peritissimo poeta carmen postulavit, quo Vindelicam victoriam Tiberii Drusique Romanis commendaret (8). Injunctum sibi munus ita Horatius præstitit ut in Augustum redundaret quicquid in honorem privignorum ejus cecinisset (9).

V. Quæ cum Augusti rationibus adeo responderent, non est mirandi locus quod non pauci illum inter eos rettulerint qui « novis ex rebus aucti, tuta et præsentia,

(1) Strab., iv, p. 138.
(2) *Carm.* iii, 5, 3.
(3) *Carm.* ii, 6, 2.
(4) *Carm.* iv, 14, 41.
(5) *Carm.* iii, 14, 1 seqq.
(6) *Carm.* iii, 5.
(7) Suet., *Aug.* 89.
(8) Suet., *Vit. Hor.*
(9) *Carm.* iv, 4; — 14.

quam vetera et periculosa mallent » (1). Servilem eam cum Principe consuetudinem dixerunt, immo venalem, quasi, exuta omni ingenuitate, poeta musam pretio addixisset. Quos si audias censores, illiberale illud pactum prænuntiare videbatur, cum in satira post actiacam pugnam scripta, Trebatio suadenti ut Cæsaris invicti res diceret, « multa laborum præmia laturus » (2), responderet absque ambagibus :

Haud mihi deero
Cum res ipsa feret...

Antequam vero ignominiosam eam venalis animi labem Horatii memoriæ inurerent, æstimare debuissent, utrum ex toto poetæ opere romanisve historicis certum quiddam elici posset, quod probabile crimen faceret. Quid enim? Nonne adstrictior illi cum Mæcenate quam cum Augusto amicitiæ necessitudo fuit? Tamen adeo non modestiæ, philosopho dignæ, in gratiam potentis amici valedixit, ut satis se beatum unicis Sabinis diceret (3); adeoque libertatis tenacem se exhibuit, ut, si amicitiæ nomine servitium ferendum esset, cuncta se resignare paratum ingenua voce profiteretur (4). Et vero quantum afuerit ut officiosam sedulitatem Augusto præstaret testantur principis epistulæ, a Suetonio in Vita Horatii ad verbum transcriptæ, quæ ut Augusti propensissimæ in Horatium voluntatis, ita ingenuæ hujus libertatis clarissimum exstant monumentum. Officium

(1) Tac., *Ann.* 1, 2.
(2) Sat. II, 1, 10.
(3) *Carm.* II, 18, 14; cf. *Sat.* II, 6.
(4) *Epist.* 1, 7, 34.

epistularum recusanti poetæ princeps neque suscensuit quicquam neque amicitiam suam ingerere desiit, imo rescribere haud dedignatus est : « Neque enim si tu superbus amicitiam nostram sprevisti, ideo nos quoque ἀνθυπερηφανοῦμεν. » Alienum ab aulica servitute poetam omni studio et prece ita persequitur ut irasci se dicat quod nullam ipsius nomini epistulam inscripserit : « An vereris, inquit, ne apud posteros infame tibi sit, quod videaris familiaris nobis esse? » Quæ omnia si bene perpendantur, timeo ut invidi, non candidi sit judicis venalem aut servilem Horatii animum æstimare.

Quid ergo? Num in contrariam partem abeuntes pronuntiare sustinebimus, quicquid in Augusti gratiam cecinerit poeta, id ex animo, vel, ut aiunt, ex intima persuasione profluxisse? Quam quæstionem ut tandem solvamus, magna cautione utendum est ne panegyricum contexuisse videamur. Si de iis carminibus agitur, quibus veteres Bruti amicos hortatur ut inter desidis vitæ delicias civiles curas deponant, licet operam Augusto gratam suscipiat, non video cur injunctum sibi officium persequi eum dicamus. Didicerat quam arduum opus esset Cæsaris lacertis repugnare; cumque in epicureis hortis imbelle profecto, sed jucundum tamen, otium repperisset, nihil melius cum amicis agendum censebat, quam si eis remedium proponeret, quod sibi bene successisse crederet. Non idem erit judicium de carminibus quæ instaurandum deorum cultum emendandosque mores tanto opere suadent. Haud alia enim Horatii quam Augusti mens in his fuisse videtur. Cum autem nobiscum reputamus eundem principem tanto in deo-

rum religiones ferri studio, cui infamis illa δωδεκάθεος cena (1), dejectumque impia manu Neptuni simulacrum objiceretur (2), tamque impensa cura refrenandis aliorum adulteriis incumbere qui tam parcus pudicitiæ cultor haberetur (3), non possumus quin judicemus id unum illi persuasum fuisse, publicum scilicet deorum cultum publicosque mores esse ad stabiliendum imperium necessarios. Simili ratione Horatius utitur; reficienda deorum templa prædicat, deosque imperii custodes canit, qui se ab Epicuro fatetur didicisse deos « securum agere ævum » (4), humanarum rerum incuriosos. Stoice de moribus præcipit Epicuri discipulus, cælebsque legi de maritandis ordinibus plaudit (5). Non omnis propterea Horatio deesse animi persuasio dicenda est; vituperabili autem inconstantia publicos mores a privatis secernit, firmiterque censet civitati injungendos mores esse, quid ipse agat satis securus. Attamen videtur mihi in illa ratione magis cum Augusto sensisse, quam conspirasse; nondum enim necessitudine ulla principi adhæserat, cum jam in mores corruptos acerrime inveheretur, exclamaretque :

Quare
Templa ruunt antiqua deum ? (6).

Jam vero de ipsius principis laudibus rem judicatu difficiliorem esse non diffiteor; cum enim carmen sæpius

(1) Suet., *Aug.* 70.
(2) *Ibid.*, 16.
(3) *Ibid.*, 69, 70, 71.
(4) *Sat.* I, 5, 101.
(5) *Carm. sæc.*, 17.
(6) *Sat.* II, 2, 103 (anno 719 scripta).

Mæcenatis prece, vel etiam Augusti jussu injungitur, tum etiam non semel videtur poeta opus ultra legem tendere, vocemque inflare ut in majus cuncta extollat. Utrum igitur poeta aliter locutus est ac sentiebat civis, an solum poetico mendacio veros animi sensus exaggeravit ? Ex iis quæ superius disputavimus constat, post actiacam pugnam, tantam in Romanorum animis factam esse mutationem ut omnes omnium ordinum viri in Octaviani potestatem libentissime concederent, Horatiumque minus temporibus inservisse quam cessisse, dum illum celebrandum susciperet. Diu exspectaverat, neque cum incepit, statim in profusiores laudes erupit ; sed si carmen quodque in ordinem temporum coegeris, satis patebit eam Augusti laudibus adhibitam rationem esse ut cum tempore et principatus beneficiis crescerent (1). Per decem fere annos, sive principis animo parum fidit, sive veteris militiæ memoria retinetur, neque adeo prompte opus aggreditur, neque urbanitatis modum excedit. Rogantibus amicis haud inficete respondet se dicendis amoribus magis idoneum esse quam prœliis heroico more celebrandis, atque timere ne laudes egregii Cæsaris culpa ingenii deterat (2). Unde non immerito statui posse videtur natam actiacis temporibus Horatii in Augustum propensionem lentis augescere incrementis, donec, parta concordia, propagatis imperii finibus, collatisque in civitatem beneficiis princeps in sui admirationem amoremque poetam ut ceteros Romanos traxerit. Tunc demum non aliam Augusti ac Romæ

(1) Cf. Waltz, *op. c.*, p. 2.
(2) *Carm.* I, 6, 11. — Cf. II, 12, 10 ; IV, 2, 33.

causam esse credit, atque ut iisdem templis juxta coluntur, ita iisdem hymnis utrumque includit. Augusti victoriæ, romanæ victoriæ sunt, habitique Augusto honores in Romam cadunt. Hanc Horatio ut ipsius æqualibus persuasionem esse vix diffiteri sustinent severissimi judices, invitique concedunt, quicquid in principis honorem canat, id illum tanquam publicam Romanorum vocem canere (1). Quod si in ejus generis carminibus acutæ naris critici aliquid operosius animadvetere sibi visi sunt, si minus facilis versus, implicatior stropha cadit, non est quod arbitremur idcirco illud accidisse quod veri sensus deficerent. Præterquam quod poeta ut candide non semel profitetur, pindaricis operibus minus erat idoneus, id etiam passus est quod ceteri artifices; injunctum opus, ut solet, plus laboris, minus facilitatis exhibet. Utcumque res est, non sine injuria dici potest minus Horatium in celebrandis Augusti honoribus, quam Romanos in iisdem conferendis rem seriam egisse (2).

Atenim, nonne turpissimæ adulationis fuit Augustum in deorum numerum referre ? Multi jam ab Horatio culpam ita amoverunt ut in ipsius temporum rationem retorquerent (3); neque mihi in animo est inutilem ea

(1) Satis sit unum ex acerrimis Horatii criminatoribus testem vocare : « J'accorde aux vers d'Horace sur le bonheur public l'inspiration de la vérité. Echo d'un sentiment universel, oui, dans le présent, il disait la vérité. Tout au plus pouvait-on lui reprocher les exagérations de l'enthousiasme poétique. » (SALVERTE, *op. c.*, p. 120.)

(2) DIO. CASS., LIII, 33 : « *καί μοι δοκεῖ ταὐθ' οὕτω τότε οὐκ ἐκ κολακείας ἀλλ' ἐπὶ ἀληθείας τιμηθεὶς, λαβεῖν.* »

(3) Vide præ ceteris FELDBAUSCH, *de Horatio non adulatore* (Heidelberg, 1839), p. 3 seqq.

de re disputationem instituere. Unum hoc addam : si nequivit philosophorum sapientia populum a putidis illis superstitionibus deterrere, nos sublimiori doctrina imbuti, istius sapientiæ infirmitatem infelicemque istorum temporum condicionem miserari potius debemus, quam unum aliquem communis erroris participem perinde reum facere ac si solus errasset. Adulantium erat templa Principi decernere : poetæ vero hæc saltem excusatio parata erat, quod levius est carmine mentiri quam senatus decretis (1).

Quæ cum ita sint, definire tandem licet, quatenus Horatius, vel cum Augustum laudaret, indolem romanam servaverit. Ut enim Venusinum poetam inter obstinatos illos antiquæ libertatis defensores numerare non possumus, qui paucissimi admodum numero, cum præteritarum rerum desiderio, præsentium fastidio et spe meliorum, procul ab Augusto vixerunt, ita neque inter bellorum civilium desultores qui sine dignitate et pudore statim ad genua victoris procubuerunt. Sed mediam quamdam inter inimicitiam et servitudinem viam inisse dicendus est, sapienter, ut sibi videbatur, exspectans quid a principe res romana sperare posset. Tandem aliquando cum ceteris cujusque ordinis civibus passus est se temporum mutatione principisque seu calliditate seu veris in civitatem beneficiis domari. Verumtamen ne tunc quidem ex innata libertate quicquam detraxit ; Augusto libenter adhæsit, non se venalem dedit. Si quidem in laudando principe nimius interdum apparet, memi-

(1) Cf. G. Boissier, *la Religion romaine*, t. I, c. 2 : *l'Apothéose impériale.*

nisse decet Horatium non minus poetam esse qui poetarum more loquatur, quam Romanum augusteæ ætatis qui æqualium opiniones et sensus referat. Quemadmodum alii antea liberæ civitatis imaginem præbuerunt, aliique mox turpissimam imperatoriæ ætatis condicionem ostendent, ita Horatii carmina eum nobis sub oculos ponunt Romanum, qui libertatem vidit nec oblitus est, vel cum servire didicit, quique natura et indole superbus, paulatim mitior in dies factus, ad Augusti arbitrium non sine dignitate fingitur.

CAPUT V

DE HORATII PHILOSOPHIA

I. Num ad certam doctrinam referri possit. — II. Num varia fuerit pro vario tempore. — III. Num alia in lyricis carminibus, alia in Sermonibus. — IV. Quid romanum præ se ferat Horatii universa philosophandi ratio : — tota ad utilitatem spectans, eclectica, Stoicorum et Epicureorum conciliatrix.

I. Quotiescumque de romana philosophia disseritur, duo præ ceteris nomina occurrunt, Ciceronis et Senecæ, quæ satis indicare per se videntur quicquid in excolenda sapientia romanum ingenium effecerit. Optime quidem si agitur de doctrina via et ratione disputata et in corpus quoddam coalescente ; si vero nosse velis quid ex arcanis philosophiæ penetralibus in hominum consuetudinem transierit, quid de diis, de anima, de moribus instituendis senserint augusteæ ætatis homines, philosophia edocti, nec tamen philosophiam profitentes, neminem video qui potiori jure quam Horatius in testimonium vocandus sit. Ne autem illud mirationem moveat, quod poetam in iis quæ ad philosophiam pertinent testem excitamus ; ut enim poesi cum philosophia arta quædam necessitudo et affinitas intercedit, ita vix inter antiquos

recentesque poetas reperias qui pari cum Horatio in philosophiam studio exarserit, atque sententias ex philosophorum scholis in suis carminibus intexuerit. Mancam igitur et mutilam fore hanc dissertatiunculam juxta mecum intellegunt omnes, nisi in lucem prolatum fuerit quid romanum sapiat, vel in carminibus lyricis, ratio philosophandi horatiana.

Erraverunt multi, dum sparsas in toto Horatii opere sententias in unum, et quidem certis finibus circumscriptum, doctrinæ corpus redigere conati sunt. Præmonuerat quidem poeta futuros carminum interpretes operam suam perditum ituros, si quærerent quo se duce, quo lare tutatus esset; nam, inquiebat,

> Nullius addictus jurare in verba magistri,
> Quo me cumque rapit tempestas deferor hospes (1).

Et vero satis erat ad cavendum errorem meminisse quomodo soleant poetæ materiam ex philosophis sumptam in carmina transfundere. Si paucissimos admodum excipias qui id sibi propositum habuerunt, ut doctrinam aliquam poeticis luminibus illustrarent, nemo fere est præsertim apud antiquos qui se uni philosophorum sectæ dediderit. Quicquid sapienter, quicquid præclare, quicquid magnifice a philosophis cujuslibet scholæ olim proditum est, id omne ad poesim pertinere arbitrantur, atque, ut feret tempus vel poetica carminis ratio, parati sunt proprii juris facere. Epicuream de mundi origine sententiam Vergilius in bucolicis expressit (2); idem in

(1) *Epist.* I, 1, 14.
(2) *Ecl.* VI, 31 seqq.

sexto Æneidos libro de animorum immortalitate, Platonem in primis secutus, divine cecinit. Utrum judicandus est poeta parum sibi in philosophiæ rebus constare, an, ut aliqui opinati sunt, maturescente cum annis ingenio, ab Epicuro ad Platonem deflexisse (1)? Satis est dicere, ni fallor, Vergilium poetæ, non philosophi officio functum esse. Non est tamen quod nobis interdictum putemus in poeta philosophum quærere, quando quidem poeta philosophatus est; sed cavendum est ne aliud ab ipso petamus quam a poeta petendum est. Non insudabimus ut omnes, quotquot sunt in poemate aliquo, ad philosophiam pertinentes sententias in unam certi nominis doctrinam cogamus; at, habita ratione omnium quæ e philosophiæ penu deprompsit, disquiremus qualem animum in iis gesserit, quibus potissimum sententiis innutritus sit, quis fuerit philosophicus, ut ita dicam, poesis spiritus. Quod si in legendo Horatio bene animo fixum tenuissent, non commisissent profecto ut alii Epicureum, alii Stoicum, alii Academicum eum dicerent.

Ab Epicuro stare videtur, cum in festivis carminibus quibus toties ad voluptatem invitat amicos, tum etiam in Sermonibus ubi magis seriam personam agit. Nonne Epicureus est, cum Deorum providentiam irridet (2), vel justum utilitate metitur (3)? At idem ille poeta stultam epicureorum in curanda pelle sollicitudinem haud aliter quam Tullius perstringit (4); at in lyricis

(1) Ita G. Boissier, *La Religion rom.*, 1, p. 228.
(2) *Sat.* 1, 5, 101. — Cf. Diog. Laert., x, 139.
(3) *Sat.* 1, 3, 98. — Cf. Diog. Laert., x, 150-151.
(4) *Epist.* 1, 4, 16; cf. totam *Sat.* 11, 4. — Cic. *in Pisonem*, 16.

carminibus deos rebus humanis providere et precibus placandos proclamat (1); at ipsam hominum animam, splendidissima usus imagine quam Platonicam dicas, « divinæ particulam auræ » definit (2).

Stoicumne eum dices? Multa certe a Zenone proficisci videntur, velut præstantissima illa Sapientis imago, hic magnificis coloribus depicta (3), illic per partes officiorum copiose descripta (4); velut etiam quicquid de virtutis præstantia prædicat (5). Verum licet ea omittamus quæ ab Epicuro sumpsit, nonne quominus sub Zenonis signis nomen dedisse censeatur obstant tot carmina ad Stoicorum irrisionem composita? Modo enim in eos asperrimæ virtutis sectatores jocatur qui ultra sapientem barbam nihil sapiunt (6); modo etiam, quod multo gravius est, ab externo Stoicorum habitu ad capita quædam doctrinæ ludum convertit. Quis lepide magis illa quæ dicuntur Zenonis paradoxa exagitavit? Paria esse omnia peccata (7), insanire omnes præter sapientem (8), solum sapientem esse liberum, esse divitem, esse regem (9), credat Stoicus; Horatius ridebit.

Num igitur iis assentiemur qui nostrum poetam Academicis adscribunt? Fatetur quidem se inter Academi

(1) *Carm.* I, 34; III, 2, et passim.
(2) *Sat.* II, 2, 79.
(3) *Carm.* III, 3, 1 seqq.
(4) *Sat.* II, 7, 83 seqq.
(5) *Epist.* I, 1, 60; *Carm.* III, 2, 17 seqq. — IV, 9, 45.
(6) *Sat.* II, 3, 35.
(7) *Sat.* I, 3, 96.
(8) *Ibid.*, 43.
(9) *Epist.* I, 1, 108; *Sat.* I, 3, 122.

silvas verum quæsivisse (1); nec semel virtutem in medio reponit (2), ex notissima sententia quam novi Academici a Peripateticis sumpserant. Academicus sit Horatius, sed cujus Academiæ? Nam Academia volatica est, ut Ciceronis verbum usurpemus, parum sui similis, modo huc, modo illuc (3)! Utrum Arcesilai et Carneadis, qui cuncta in dubium vocabant? Certe nolit Horatius, qui verum inveniri posse nunquam diffisus est. An Philonis, qui ad veterem Academiam reversus, eam pugnaciter adversus alios tuebatur (4)? Sed ex iis quæ supra dicta sunt apparet fieri non posse ut in Horatio philosophum vere platonicum agnoscamus. An tandem Antiochi, Philonis discipuli, qui Stoicorum et Peripaticorum placita miscuerat cum Academicis? Minus absurde faciunt qui in hujusmodi Academiam Horatium referunt, quanquam indigna eo nomine habenda est Antiochi philosophia, quæ, ex partibus undique collatis magno labore conflata, vix Academicorum quicquam retinet. Cum igitur præpostero nomini aliud sufficiendum sit, sapientius agunt, ut ex dicendis patebit, qui Horatium ἐκλεκτικόν nuncupant.

II. Ecce autem alia suboritur quæstio, quam ad præsentem disputationem haud parum pertinere fatendum est : si Horatium constat ab optimo quoque philosophorum eximias mutuatum esse sententias, num statui probabiliter potest eum variam pro vario tempore coluisse sapientiam, ut ab Epicuro profectus sensim ad Zenonem

(1) *Epist.* II, 2, 45.
(2) *Sat.* I, 1, 106. — *Epist.* I, 18, 9.
(3) Cic. *ad Att.* XIII, 25.
(4) Cic., *Academ.* I, 4, et passim.

magis inclinaret (1)? Ipse dubitationi locum paravit, cum duodecimo prope anno postquam deorum providentiam epicureo more sustulisset, fulmine per sudum demisso, quasi pœnitentia motus insanientem sapientiam ejurare videretur (2). Fuerunt qui nostrum poetam hoc carmine animum ad meliorem frugem conversum confiteri crederent; alii vero, Lessingii interpretationem secuti (3), Horatium dicunt hoc loco poetam tantummodo, non philosophum egisse, ita ut quibus affectus esset sensibus per subitam eam tempestatem lyrica sublimitate exprimeret, nedum Stoicorum vel Epicureorum rationem haberet. Certe negari vix potest illam insanientem sapientiam Epicuri doctrinam significare; sed, Lessingii explicationem ex parte probantes, poeticum ibi jusjurandum agnoscimus. Constat enim eo ipso tempore quo merus Epicuri discipulus fuisse fingitur, in satira (4) nempe eodem circiter anno conscripta quo per Brundisinum iter epicuream de diis opinionem profitebatur, non aliter quam Platonem de anima locutum esse. Quid quod, quinto fere anno post ejuratam, ut aiunt, Epicuri doctrinam, disertissimis verbis testatur se nunc cum Zenone, nunc cum Aristippo facere (5)? Nulli

(1) Cf. TEUFFEL, *Hist. de la litt. rom.* (trad. fr.) II, p. 53. Lentam illam sententiarum conversionem in Horatio admittit vir peracuti ingenii et atticæ urbanitatis, G. BOISSIER, quem mihi audire contigit, posteriori semestri anni 1883, disserentem in collegio Gallico de Horatii philosophia.

(2) *Carm.* I, 34.

(3) LESSING, *Rettung des Horaz*; — cf. ORELLI, *ad Carm.* I, 34.

(4) *Sat.* II, 2, 79 (scripta anno 717).

(5) *Epist.* I, 1, 16 seqq.

igitur unquam scholæ valedixit, quia nulli unquam uni adhæsit ; sed, si ea tantum quæ de moribus scripsit respexeris, cum sapientiam sibi animo finxisset tum ex proprio judicio propriaque experientia, tum ex probatissimis philosophorum sententiis, non est mirandi locus quod rerum usu doctus judicioque firmiori fretus, ex illis philosophiæ floribus exquisitissimos eligere didicerit. Perlectis poetæ carminibus, neutiquam adduci possum ut aliter progressum in philosophia eum fuisse credam ; non ab alio ad alium descivit, sed quod in unoquoque optimum erat, id, vergentibus in senectutem annis, acutius vidit, firmius elegit.

III. Hinc monemur ut non aliam in Sermonibus, aliam omnino in lyricis carminibus inesse philosophiam arbitremur. Stoicum sapientem, ut jam diximus, in lyrico carmine vividissimis coloribus depingit justum ac tenacem propositi, in ruinis illabentis orbis impavidum ; sed in satiris, pari facundia, pari affectu describit. Hic non semel stoicam virtutem admiratur repulsæ nesciam sordidæ, et cœtus vulgares spernentem (1), populos falsis dedocentem uti vocibus regnumque, ut Zenoni placet, deferentem uni qui divitias despiciat (2), beatos efficientem qui duram calleant pauperiem pati (3); illic vero, uno quidem versu, vel brevitate vel veritate admodum admirando, totam stoicorum virtutem includit :

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa (4).

(1) *Carm.* III, 2, 17 et 23.
(2) *Carm.* II, 2, 19 seqq.
(3) *Carm.* IV, 9, 47.
(4) *Epist.* I, 1, 61.

Cave tamen putes in lyricis carminibus nihil nisi stoicum sonare. Virtutem enim, qualem effinxit Porticus, magis videtur Flaccus mirari in antiquis Romanis et eximiis quibusdam viris, quam sibi et amicis proponere. Heroas illa quidem peperit, sed ei qui adeo tantum ambitiosus est ut privato, ut urbano more vivens eam felicitatem adipiscatur quæ sapienti sufficiat, plus molestiæ quam emolumenti allatura judicatur. Immo vix reprehensionem stultitiæ et iniquitatis effugiet, si Horatio fides est; insani enim, inquit,

> Insani sapiens nomen ferat, æquus iniqui,
> Ultra quam satis est virtutem si petat ipsam (1).

Quis nescit passim in lyricis eandem aliis verbis sententiam recurrere, cum amicis ostendere studet quid beatum efficiat? Nullus color est argento, nisi temperato splendeat usu (2), auream mediocritatem diliges, si sapias (3); desideranti quod satis est, nihil mali timendum (4); bene est cui deus obtulit parca, quod satis est, manu (5). Hæc qui præcipiat, nonne dicendus est virtutem ab excelso illo stoici Sapientis fastigio quasi e cælo ad terras avocavisse, ut communi hominum condicioni, cotidianæque vitæ accommodaret? Nonne hujusmodi præcepta ab illo principio profluere videntur, quod ita alias felici brevitate expressit :

(1) *Epist.* I, 6, 15.
(2) *Carm.* II, 2, 1.
(3) *Carm.* II, 10, 5.
(4) *Carm.* III, 1, 25.
(5) *Carm.* III, 16, 43.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum (1) ?

Eadem igitur utrobique de moribus doctrina, nisi quod, quæ est lyrici carminis natura, hic copiosius depingitur, illic diligentius definitur.

Si quæras quid de anima humana sentiat, certe in carminum libris parum curare videtur utrum, post exactam vitam, anima illa, quam olim divinæ particulam auræ appellavit, ad suum principium reversura sit, ut sua virtuti merces contingat. Non aliam enim immortalitatem magnis viris pollicetur quam nominis et gloriæ (2) ; ceterum, immortalia non speranda sunt :

Nos ubi decidimus,
Quo pater Æneas, quo dives Tullus et Ancus,
Pulvis et umbra sumus (3).

Manes fabulæ sunt (4); Quintilium perpetuus sopor urget (5); sors omnium serius ocius urna exibit, nos in æternum exsilium impositura cymbæ (6).

Non aliter in Sermonibus de futura hominum condicione sentire existimandus est, cum Numicium moneat, postquam divitias et gloriam sectatus fuerit, ipsi tamen eundum esse « Numa quo devenit et Ancus (7) », nimirum inter inanes umbras, postuletque ab eo qui sapiens futu-

(1) *Sat.* I, 1, 106.
(2) *Carm.* IV, 8, 26 seqq.
(3) *Carm.* IV, 7, 14.
(4) *Carm.* I, 4, 16.
(5) *Carm.* I, 24, 5.
(6) *Carm.* II, 3, 25.
(7) *Epist.* I, 6, 27.

rus est, ut rideat nocturnos lemures (1), seu, apertioribus verbis, mortuorum animas, quæ ex vulgari Romanorum fide domum paternam interdum revisere credebantur.

Diu putaveram, comparatis quæ de diis Horatius passim in toto opere scripsisset, ejus Sermones adeo lyricis carminibus non respondere, ut diversam prorsus personam agere videretur. Qui enim in Brundisino itinere negat deos humanis rebus consulere, idem in Odis quam excelsa, quam recta de divina Providentia loquitur! Jupiter est,

> Qui terram inertem, qui mare temperat
> Ventosum et urbes regnaque tristia,
> Divosque mortalesque turbas
> Imperio regit unus æquo (2).

Supremum exercet in populos et civitates arbitrium, ita ut deos colentibus prospera omnia, neglegentibus adversa rependat (3), delicta majorum solitus vel in posteris ulcisci (4). Neque civitatum cura eum a singulis hominibus avocat, qui, si scelus admiserint, nullo non tempore paratam peccato pœnam timeant necesse est :

> Raro antecedentem scelestum
> Deseruit pede pœna claudo (5).

Hinc sequitur oportere ut dii publicis sumptibus (6) et

(1) *Epist.* II, 2, 209.
(2) *Carm.* III, 4, 45.
(3) *Carm.* III, 6, 1 seqq.
(4) *Carm.* I, 28, 30.
(5) *Carm.* III, 2, 32.
(6) *Carm.* III, 6, 1 seqq.

privatis sacrificiis (1) colantur, si iratos placare, placatosque semper propitios nobis et rei publicæ habere velimus.

Sapienter quidem hæc omnia, et quæ e Socraticorum familia manare videantur. Num tamen statim et temere dicendum est aliter de diis Horatium in lyricis carminibus sentire, aliter in Sermonibus, tanquam civilem quodam modo personam in illis egerit, in his privatam? Sed non parum difficultatis inde oriri fateor, quod in Epistulis et Satiris, si unum illum de deorum incuriosa felicitate locum demas, haud secus atque in lyricis poematis, quanquam rarius, deos testatur humanarum rerum procurationem habere. Jupiter votis aurem præbet (2), a quo bonorum copia profluit (3). Si recusat Horatius ab illo exposcere quæ Christiani nos animi bona, omnium bonorum eminentissima, vocamus, ex recepta apud antiquos, præsertim Stoicos, sententia loquitur, qui, minus perspectis iis rationibus quæ inter Dei providentiam et hominis libertatem intercedunt, nimium humanæ superbiæ indulgebant (4); ceteroqui vitam et opes precatur :

> Sed satis est orare Jovem, quæ ponit et aufert :
> Det vitam, det opes; æquum mi animum ipse parabo (5).

(1) *Carm.* III, 23.
(2) *Sat.* I, 1, 15-22.
(3) *Epist.* I, 12, 3; cf. *Epist.* I, 4, 6; II, 2, 152; *Sat.* II, 6, 4.
(4) Cic., *de Nat. Deor.* III, 36 : « Virtutem nemo unquam deo acceptam retulit... Judicium hoc omnium mortalium est, fortunam a deo petendam, a se ipso sumendam esse sapientiam. » — Cf. Sen. *Epist. ad Lucil.* 73, ad fin.
(5) *Epist.* I, 18, 111.

Quomodo igitur inter pugnantes secum sententias sinceram Horatii opinionem dignoscere licebit? Utrum eo temeritatis venire sustinebimus, ut dicamus eum semel in vita de diis ex animo locutum, cum eos ab humanarum rerum regimine amoveret, neque alias nisi simulatam fidem in deorum providentiam professum fuisse? An jocari, cum negat, serio loqui, cum affirmat? Promissi memores, ne nimium hærentem in doctrinis urgeamus, neque contendamus ut poeta, poetico more abjudicato, sollicitam philosophorum diligentiam assequatur. Qui autem Horatii opera in universum æstimaverit, rationemque illorum temporum et poetæ indolis habuerit, si ab eo quæratur quid putet poetam de diis sensisse, libenter crediderim vix ambiguum fore candidi æstimatoris responsum. Affirmabit Horatium cum principibus ætatis suæ viris Epicuri disciplinæ, quod ad se attinebat, adhæsisse, cum vero poemata conscriberet, neque civis officium, neque poetæ munus neglexisse. Poeta enim non committebat ut musam privaret illis sententiarum flosculis, illis luminibus quæ passim vel apud philosophos vel apud poetas græcos invenerat; civisque patriæ amantissimus, cui persuasum esset, pietate adversus deos sublata, mores in pejus abire, civitatisque fundamenta labare, Augusto templa reficienti operam præstabat.

Qui vero illam inconstantiam in Horatio severius corripiant, ii sane oblivisci penitus videantur Romanorum in colendis diis morem et rationem. Ii enim semper fuerunt, qui, postquam in theatro poetis Jovem et auguria irridentibus plausissent, Jovi Capitolino solita sacrificia rite et serio peragerent, neque quicquam gra-

vioris momenti nisi auspicato molirentur. Antiquitus receptas de diis opiniones subverterat Græcorum philosophia, Lucretiusque tollendas cærimonias et religiones acerrime clamaverat. Abierat fides, permanebant religiones. Auctor est Varro tria theologiæ genera apud Romanos vigere : « Mythicon, quo maxime utuntur poetæ ; physicon, quo philosophi ; civile, quo populi » (1). Quicquid delirarent poetæ, somniarent philosophi, oportebat cives patriis diis cultum legibus pontificiis præscriptum constantissime persolverent. Quem morem vel a Romanis philosophantibus propugnatum esse, testis est Tullius, qui Cottam Academicum contra Stoicos ita disputantem inducit : « Ego vero eas (opiniones, quas a majoribus accepimus de diis immortalibus, sacra, cærimonias religionesque) defendam semper semperque defendi : nec me ex ea opinione quam a majoribus accepi de cultu deorum immortalium, ullius unquam oratio aut docti aut indocti movebit. Sed cum de religione agitur, Ti. Coruncanium, P. Scipionem, P. Scævolam, Pontifices maximos, non Zenonem aut Cleanthem aut Chrysippum sequor..... A te philosopho rationem debeo accipere religionis, majoribus autem nostris, etiam nulla ratione reddita, credere » (2). Eam igitur civilem theologiam, fide destitutam, fragili consuetudinis fundamento ægre sustentatam cum Augustus rursus fulciendam esse intellegeret, poterat Horatius, quamvis epicurea de diis opinione imbutus, totis viribus adstipulari.

Ceterum vereor ut parum æquum sit, dum Horatii

(1) Apud S. Aug.; *de Civ. D.*, l. VI, c. 5.
(2) Cic., *de Nat. D.*, III, 2.

philosophia in disputationem vocatur, curiosius ad eas philosophiæ partes respicere, quæ de Deo et anima humana tractant, cum omne prope studium ad mores converterit. Ad summam itaque teneamus non discriminis quicquam aliud inter carmina et Sermones, quod ad theologiam pertinet, animadverti posse, quam quod in lyricis carminibus de diis et præsertim de cultu ipsis adhibendo fusius et sublimius cecinit.

IV. Sequitur ut inquiramus quid romanum præ se ferat Horatii philosophia.

Si quis, perspectis romanæ philosophiæ monumentis, quæ fuerit ejus indoles breviter definire velit, haud scio an verissime illam, ex Afranii sententia paululum immutata, filiam Usus et Memoriæ vocaturus sit (1). Namque ars philosophandi Romæ peregrina est, doctrina adventicia, totaque e Græcorum libris hausta : satis de suo collaturi Romani sibi videbantur, si proprii ingenii nota eam signantes, ad utilitatem converterent. Ubi enim Romam « influxit abundantissimus amnis illarum disciplinarum et artium » (2), statim patuit Romanum, scientiæ minus studiosum quam proprii commodi diligentem, omnem operam in eo positurum esse ut paratis sapientiæ opibus uteretur, nedum eas augere studeret. Tullius ideo philosophos adit, quia neminem sine philosophia magnum oratorem exsistere judicat ; cumque ætate maturior illorum opera latinis litteris illustrare

(1) Apud Aul. Gel., xiii, 8. — O. Ribbeck, *Com. lat. fragm.*, p. 202 :

Usus me genuit, mater peperit Memoria ;
Sophiam vocant me Graii, vos Sapientiam.

(2) Cic., *de Rep.* ii, 19.

statuit, nulla alia se causa inductum fuisse dicit, quam ut civibus suis præberet quicquid ad rectam vivendi viam commodi continerent (1). Quicumque ante illum, quicumque postea apud Romanos pervolvendis Græcorum libris incubuerunt, eandem utilitatis rationem habuerunt, ut Cicero censeri possit suam philosophiæ romanæ legem dixisse, suumque finem descripsisse.

Haud abs re fuerit statim notare quantopere poeta noster sese ad eam philosophandi consuetudinem, quasi inscius, natura proprii ingenii impulsus, applicuerit. Quemadmodum enim Tullius a philosophis præcipuam eloquentiæ materiam petierat, ita poesis Horatius; pari jure affirmare potuisset se non ex Alexandrinorum officinis, sed ex Academiæ spatiis poetam exstitisse, adeo propriis exemplis docuerat quam primariam poetis legem injunxit :

> Scribendi recte sapere est et principium et fons :
> Rem tibi socraticæ poterunt ostendere chartæ (2).

Cumque eodem loco a poetis illud ante omnia postularet ut morum officia callerent, nihil aliud præcipiebat quam quod et ipse præstiterat. Qui enim inter Academi silvas ita versatus erat « ut posset curvo dignoscere rectum » (3), is, quoad vita suppetiit, philosophorum libros pervolutavit unde disceret quæ ad vitam bene beateque agendam pertinerent. Comites viæ eos assumit (4), et in Sabino suo, orto cum amicis sermone, agitare solet

(1) Cic., *Tuscul.* I, 1.
(2) *Art. p.* 309.
(3) *Epist.* II, 2, 44.
(4) *Sat.* II, 3, 11.

« utrumne
Divitiis homines an sint virtute beati,
Quidve ad amicitias, usus rectumne, trahat nos,
Et quæ sit natura boni summumque quid ejus (1).

Ne in re evidenti longum faciam, uno verbo dicam omnia ejus studia, omnia scripta, romano more, in utilitatem prominere.

Ex eo fine, quem sibi in philosophando Romani constituerant, sequebatur ut minus certæ philosophorum disciplinæ adhærerent, quam ex unaquaque depromerent quicquid ad mores ordinandos conduceret. Inde factum est ut Romæ vix alios philosophos reperiamus quam quos vocant ἐκλεκτικούς. Et vero romanæ indoli ad hanc philosophandi viam promptissimæ mirum quantum illud faverat, quod in Urbem vacuam Græcorum disciplinæ, non singulæ, alia post aliam, subrepserant, sed omnes prope simul confluxerant. Futurorum romanæ philosophiæ fatorum imago quædam prænuntia visa est, cum eadem die Carneadem Academicum, Critolaum Peripateticum, Stoicumque Diogenem disceptantes Roma audiit ; ita plures olim in eodem scriptore romano auditura erat. A primis illis excitata doctoribus, juventus omni in philosophiam exarsit studio ; plurimos domi habuit magistros e Græcia accitos, et ipsa Athenas, ad audiendos præclarissimos, ventitavit : sed Romæ ut Athenis cujusque familiæ philosophi simul docebant. Cum igitur disciplinæ omnes promiscue et, ut ita dicam, tumultuarie Romam irrupissent, non est mirum si eligere assueverunt quod optimum quæque ad mores

(1) *Sat.* II, 6, 73.

habere judicaretur. Viam hanc inivit Tullius, cum in his libris Platonem, in illis Panætium, in aliis Crantorem sequeretur, parum curans utrum ex omnibus unum efficeretur opus uno doctrinæ vinculo ligatum. Quicumque de philosophia Romæ scripserunt, vel qui certæ cuidam sectæ nomen dabant, aliquem delectum in doctrinis habuerunt. Varro ipse, qui ad Zenonem ita inclinabat ut a quibusdam merus stoicus dictus sit (1), modo Pythagoram, modo Platonem expressit (2). Quamvis Seneca Stoicorum discipulum se profiteatur, non sibi legem dixit, nihil contra dictum Zenonis Chrysippive committere (3); jus censendi retinet (4), eoque utitur dum ex Epicuri hortulis flores quosdam sententiarum decerpit. Cum igitur jactat se Horatius ab omni schola liberum, nullius addictum jurare in verba magistri, nihil aliud quam formulam ipsam consuetudinis expressit, quam in interpretandis Græcis secuti sunt illi qui romanæ philosophiæ antistites potissimo jure appellantur. Præstantissimos cujusque disciplinæ magistros lectitavit; quindecim prope philosophorum nomina in poematis ejus occurrunt; et cum græce sit doctus quam qui maxime, liberrimo judicio optimum optimorum sucum in suam substantiam convertit.

Neque solum in universa philosophandi ratione, sed etiam in coagmentada de moribus doctrina, suorum temporum imaginem rettulit. Sciunt omnes, postquam

(1) Ottfried Muller, *præf. de Lingua lat.*
(2) Cf. G. Boissier, *Etude sur Varron*, p. 115.
(3) Sen., *de Otio sap.* 30.
(4) Sen., *de Vita beat.* III, 2 — cf. *Epist. ad Luc.*, XXIII, 9.

Romani sui juris duxissent juxta novæ Academiæ rationem inter philosophiæ doctores eligere, eos, ubi de vita instituenda agebatur, partim Epicuri, partim Zenonis disciplinam amplexatos esse. Qui vero factum sit ut præ aliis duæ illæ sectæ apud Romanos invalescerent, ut minus ad nostrum propositum utile, supersedebo fusius enarrare; suffecerit animadvertere jam sexto Urbis conditæ sæculo discidium illud exstitisse ut, qui romanæ gravitatis præsertim rationem habebant, ad Stoicos, qui autem tranquillam et jucundam vitam plurimi faciebant, ad Epicureos confugerent. Non quod pura apud eos viguerit utraque disciplina, qualem Græci condiderant; nunquam enim jus eligendi omiserunt. Ideo brevi evenit ut alii epicuream rationem romana gravitate quadamtenus nobilitarent, alii stoicam humanitatis et litterarum condimentis mitigarent; cumque illis stoicum aliquid inesset, his epicureum, prope erat ut in vita degenda reapse politiores viri consentirent, licet verbis de finibus bonorum malorumque invicem dissiderent. Sic Atticus, quanquam epicureus, nonnulla Ciceroni concesserat, ab Epicuri doctrina plane aliena (1); sic etiam Varro, Stoicis plerumque favens, in quibusdam ab Epicuro steterat (2). Novam hanc romanæ philosophiæ condicionem, quæ eo valebat ut inter Stoicos et Epicureos concordia quædam in agendo fieret, haud scio an quis felicius quam Horatius repræsentaverit. Recisis enim quæ in utraque disciplina modum excedere videntur, nihil fere Epicureis concedit quod graviorem iis apud

(1) Cf. Fialon, *Thesis in Atticum*, cap. 1.
(2) Cf. G. Boissier, *Et. sur Varron*, p. 115.

Stoicos invidiam faciat, neque rursus id Stoicorum doctrinæ permittit propter quod inhumana ab Epicureis judicetur.

Si toties et in lyricis carminibus et in Sermonibus suadet amicis, quem sibi morem fecit, ut fruantur paratis (1), si exclamat :

Quo mihi fortunam, si non conceditur uti ? (2),

nunquam tamen cum Epicureis consentit voluptatem summumbonum dici posse; imo spernendas esse voluptates, quæ dolore emantur (3), firmiter censet; nec Zenonis discipulus ausit præcepto contradicere, tametsi aliam causam cur præcipiatur postulare queat. Tum quoque cavere videtur ne disertius ea principia profiteatur in quibus totam niti Stoicorum rationem constat. Cum effatum illud « vivere naturæ convenienter » (4), profert, eo quodammodo jocose abutitur, ut Fusco approbet « nullum locum potiorem esse rure beato ». Virtus est quæ una et sola faciat beatum, aiunt Stoici ; Horatius sententiam dividit, Stoicisque concedit virtutem solam per se sufficere ut quis beatam vitam adipiscatur (5) ; utrum vero una id possit, rem injudicatam relinquit (6). Fortasse dixerit quispiam, si res ita se habeat, inconstantiæ reprehensionem in Horatium cadere, qui ad Quinctium scripserit :

(1) *Carm.* I, 11, 8 ; — 31, 17 ; IV, 7, 19 ; *Sat.* II, 6, 13 ; *Epist.* I, 18, 107 et passim.
(2) *Epist.* I, 5, 12.
(3) *Epist.* I, 2, 55.
(4) *Epist.* I, 10, 12.
(5) *Carm.* IV, 9, 46 seqq.
(6) *Epist.* I, 6, 30.

Neve putes alium sapiente bonoque beatum (1).

Quod mihi secus videtur ; cum enim ex universa ejus sentiendi et loquendi consuetudine patet sapientem nullius rei, ne virtutis quidem, servum esse oportere, tum etiam ille versus, si totius epistulæ ratio habeatur, ex faceta quadam stoicæ sapientiæ imitatione profectus judicari potest, si quidem eo usque ibidem stoicum agit, ut Zenonis paradoxon de peccatorum æqualitate, quod alibi irriserat, suum faciat (2). Cum præterea inter Epicureos et Stoicos de virtute colenda consensus esset, acerrima vero contentio de fine virtuti constituendo, his eam propter se, illis propter fructus inde secuturos amplectendam esse censentibus, Horatius ita virtutem laudat ut summum bonum eam existimare videatur, præsertim quia felicitatem pariat (3). Et vero, quod sapientiæ horatianæ caput habendum esse opinamur, id tale est ut Stoicis nihilo secius quam Epicureis probari possit. Qui enim de ipsis principiis quibus morum doctrina innititur ita varias et fluitantes sententias exprimit ut inter asperos Zenonis scopulos et voluptarias Epicuri insulas cautius eum navigare dicas, idem ille, ubi agitur de vita beate agenda, firmissimum profert præceptum ad quod, velut tutissimum felicitatis portum, omnes secum convocat. Illud est celebratissimum « nil admirari », quod perperam a quibusdam intellectum nihil aliud quam in brevem quamdam formulam cogit quicquid de animi æquabilitate sapienti comparanda nunc festive, nunc

(1) *Epist.* 1, 16, 20.
(2) Vid. Orelli, *ad Epist.*, 1, 16, vv. 17 et 50-54.
(3) *Epist.* 1, 1, 25 ; 2, 55.

graviter tot carminum locis commendavit. In eo enim ponenda est summa hominis felicitas, si Horatio creditur, ut superior rebus externis et fortuna (1), suique et interioris appetitus dominus (2), semper æquum animum servare meminerit (3). Quæcumque igitur animo perturbationem ingenerant, animi cum corpore concordiam solvunt, et, breviter dicere licet, quæcumque impediunt quominus animus æquus permaneat, ab iis summo opere discat sapiens refugere ; et cum, exempli causa, divitiarum sitientem divitiæ ad amplius quærendum acuant, nedum unquam expleant (4), ratione duce utendum est, ut

Quod satis est cui contingit, nihil amplius optet (5).

Otium illud sapientis « neque gemmis neque purpura venale neque auro (6) », non extra nos quærendum est, sed a nobis ipsis petendum. Quid enim, ait poeta,

Quid terras alio calentes
Sole mutamus ? Patriæ quis exsul
Se quoque fugit ? (7).

Quam sententiam adeo feliciter alibi incudi reddidit, ut proverbii locum obtinuerit :

Cælum, non animum mutant, qui trans mare currunt (8).

Illa igitur animi tranquillitas, in omni fortuna æqua-

(1) *Carm.* III, 29, 53 seqq. — *Epist.* I, 1, 19.
(2) *Epist.* I, 2, 62.
(3) *Carm.* II, 3, 1 seqq.
(4) *Carm.* III, 16, 17.
(5) *Epist.* I, 2, 46.
(6) *Carm.* II, 16, 7.
(7) *Ibid.*, 19.
(8) *Epist.* I, 11, 27.

bilis, perfectam pariens felicitatem, ut externis rebus parari nequit, ita semel amissa non aliunde quam ex intima philosophia repetenda est :

> Fervet avaritia miseroque cupidine pectus :
> Sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem
> Possis et magnam morbi deponere partem.
> Laudis amore tumes : sunt certa piacula, quæ te
> Ter pure lecto poterunt recreare libello.
> Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator,
> Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,
> Si modo culturæ patientem commodet aurem (1).

Mihi temperare non potui quin egregium hunc locum de philosophiæ in medendis animi morbis efficacitate integrum referrem, qui cum sententiarum excellentia tum verborum simplicitate accuratissima superare videtur quicquid unquam in philosophiæ laudem apud veteres cantitatum est; quem, opinor, utroque pollice laudaverint cujusvis scholæ discipuli. Illam vero de animi æquabilitate doctrinam notissimum est adeo non ab Epicureis vel Stoicis alienam esse, ut contra simillima prorsus præcepta apud utrosque passim legantur (2).

Neque etiam illud prætereundum esse censeo, quod Horatius, cum eam sibi effinxisset de moribus disciplinam quam suis æqualibus congruere arbitraretur, tullianam docendi rationem, vere romanis civibus accommodatam, imitatus est. Is erat Ciceronis amor in patriam, ea admiratione præstantes romanæ civitatis viros prose-

(1) *Epist.* I, 1, 33 seqq. — Cf. *Epist.* I, 2, 34 seqq.

(2) SEN., *de Ot. Sap.* 30 : « Utraque (secta) ad otium diversa via mittit ». — *Epist. ad Luc.* XCII, 3 : « Quid est beata vita? securitas et perpetua tranquillitas ». — LUCRET. V, 1116 :

> Quod si quis vera vitam ratione gubernat,
> Divitiæ grandes homini sunt, vivere parce
> Æquo animo...

quebatur, ut vel cum Platonis librum aliquem interpretandum suscepisset, rejectis mythicis fabulis quibus veritatem adumbrabat græcus auctor, in earum locum exempla e Romanorum historiis desumpta sufficeret. Ita majores ipsi propriam vitam propriasque virtutes nepotibus proponere ad imitandum videbantur; ita romana historia, quasi philosophiæ ancilla, facem illi præferebat. Haud negaverim vix fieri potuisse ut in carminibus ad notanda vitia compositis Horatius domestica exempla non promeret, præsertim cum se ita ab optimo patre formatum dicat, qui vitiorum exemplis vitia fugere assuesceret (1). Cum igitur sui temporis avaros, nepotes, heluones nominatim carpit, ut virtutes his vitiis contrarias commendet, satiricum poetam agit. Non eadem ratio illorum carminum quibus proprie virtutem laudat ad eamque cohortatur. Poterat more Stoicorum illum sapientem fingere, qui nusquam repertus esset; poterat virtutum exempla vel a Græcis sumere: verum apud Horatium sapiens nomen habet, et illud quidem romanum. Firmitudo stoica in Catone elucet, stoica paupertas in Fabricio, stoica jurisjurandi religio in Regulo. Quid illud est quod, ubi magnæ sapientiæ exempla proferenda sunt, Horatius nihil fere de Græcis notum habere videtur præter fabulas poetarum scriptis quasi consecratas? Nonne quia ipsi haud secus ac Tullio persuasissimum erat Romanos melius et lautius mores et instituta vitæ resque domesticas ac familiares tueri (2)? Hoc est certe, ut civem vere romanum decuit,

(1) *Sat.* 1, 4, 105.
(2) Cic., *Tuscul.*, 1, 1.

philosophari, quando quidem neque ratio a majoribus in philosophicis rebus adhibita respuitur neque præsentium temporum necessitates omittuntur.

Verumtamen, postquam propositum assecutus mihi videor, missis ambagibus, fatebor timore me teneri ne injuriosius cum poeta egerim, dum philosophum ad calculos vocarem. Confitenti venia dabitur, præsertim cum ejusmodi periculum fuerit quod facilius cerneres quam vitares. Non obliviscor Horatium, more poetarum, potius philosophorum sententias carminibus inspersisse, quam pertractasse philosophiam in abdita rerum aberrantem. Nemo poeta magis philosophus exstitit, semper tamen poeta. Hac exceptione cum illo agendum fuit, ne severiores essemus, cum, carminibus in universum spectatis, esset quod diligentiam et constantiam desideraremus.

Quicquid illud est, fieri nequit, quin toto in opere Horatii philosophiam aliquam agnoscamus, quæ, ut poetæ indolem, ita augusteæ ætatis condicionem verissime et, ut aiunt, ad vivum refert. Medicum dicas qui e lectissimis floribus compositiones fecerit, quas sibi utiles expertus, amicis fidenter obtulerit. Vix præsentior medicina, ut illis temporibus, parari potuit. Quod enim apud principes illorum temporum viros litteris græcis excultos philosophia effecerat, ut scilicet omnis in deos fides labefieret, idem apud plebem civilia bella : cum omnia odiis et sanguine misceri viderent, omnia humana et divina pari contemptu haberi, quomodo fieri poterat, ut jampridem infirmior erga deos pietas et religio e publicis ruinis emergeret? Sublata fide, mores pariter, ut solet, in pejus abierant. Cum litteratis viris Horatio

res erat, et cum imperita plebe. Quid faceret? In carminibus lyricis, quæ quidem in deorum honorem vel morum emendationem scribit, plebi suadet ut ad antiquas religiones, ad avitos mores revertatur, nec epicureus stoice loqui dubitat. Cum vero politiores ejus ætatis viri non ii essent qui ad rigidam Stoicorum rationem sese componerent, illis eam sapientiam proponit quæ nec adeo epicurea est ut Stoicos offendat, nec adeo stoica ut Epicureos deterreat. Nihil nimis austerum, nihil nimis fluxum, si ad capita doctrinæ respicias, præ se fert hujusmodi philosophia, vere pugnantium conciliatrix, Epicuri delicias gravitate romana, Zenonis severitatem amabili facilitate temperans. Haud temere eam contulerunt cum ea sapientia quæ ex fabulis nostri Fontanii emicat, omnibus parabilis, non ita tamen certis finibus circumscripta ut ab omnibus æque intellegatur : legentes, pro ingenii natura et captu, quidlibet ex ea haurire possunt, alii excelsius, alii humilius. Non quod latius ea Horatii cum Fontanio comparatio pateat; hic enim magis suam quam sui sæculi sapientiam proponit, ille vero suam exprimendo, perfectissimam suorum temporum imaginem adumbravit.

Infelicia profecto tempora, quæ ferre nequeant nisi faciliorem philosophiam, ut firmis principiis, ita certa sanctione destitutam ! Quotiescumque ea communiter apud populum aliquem et coli et vigere videtur, in promptu est augurari omnia, etsi in præsens florentia, mox in ruinam collapsura : vel quo verius dicam, talis sapientia primus est labendi gradus; floribus strata via est, sed in præceps vergit.

CONCLUSIO

Aiebat clarissimus inter Germanos poeta se, cum florem eximium adspiceret, properato in manus sumere, ejus colorem contemplari atque odore frui, priusquam eruditulus quidam harum rerum magister hujus floris delicias per partes dissolveret, quo diligentius intimam ejus structuram explicaret. Haud multum dissimile in crimen incurrimus, qui elegantissimi poetæ membra discerpserimus, ut arcanam illius ingenii naturam reconditioremque poesis artem dilucidius perspiceremus. Quam culpam, si culpa est, hac una ratione eluemus, si quicquid hucusque disputatum est in brevem quamdam tabulam referamus, unde suum poetæ corpus redeat.

Principio statuimus Horatium non illorum lyricorum amiliæ adscribendum esse, qui, neglectis aliorum exemplis, proprii ingenii vigore in carmina erumpant. Cum enim lyricum spiritum non sibi deesse quidem, sed mediocritate quadam contineri intellexit, tum quoque ab illa consuetudine non recedendum censuit, qua a primis inde litterarum latinarum initiis romani scriptores ad Græcorum normam suum conformaverant ingenium.

Igitur, quod alii in unoquoque genere præstiterant, id in intacto Romanis lyricæ poesis genere tentavit. A Græcis sententias plurimas, a Græcis sermonis ubertatem et elegantiam, a Græcis politissimam carminis artem doctissimamque metrorum varietatem mutuatus est ; utque poeta Mantuanus sollertissima Græcorum imitatione romanus Theocritus romanusque Homerus exstitit, sic Venusinus meruit ut romanus Archilochus et romanus Alcæus diceretur.

Quam vero provinciam dedita opera sibi delegerat, ita ea functus est, ut in Græcorum imitatore nunquam non Romanum agnosceres. Illius tamen romanæ indolis vestigia aliter in aliis carminibus impressa apparent, hic levius et, ut ita dicam, in superficie tantum, illic altius ad imas usque carminis medullas. Quemadmodum enim varii fuerunt imitationis gradus, ut ab argumentis græcis ad argumenta plane romana assurgeret, ita, decrescente græcitatis studio, crevit romani oris spiritus. Non desunt carmina, quæ nihil nisi res græcas continere videantur; in illas tamen noviciæ artis primitias, ubi totum a græcis exemplaribus Horatium pendere dicas, si diligentius introspexeris, romanum poetam a superstitiosa imitatione liberum invenies, vel in eo saltem quod ad severiores leges, romanæ gravitati consentaneas, molliora Græcorum metra redigere studet. Mox certiora romani ingenii vestigia deprehendes ; græcis sententiis romana vel italica nomina, romanæ sententiæ, romanique mores intermiscentur, unde tabulam effici intellegas romanis lineis descriptam, græcis vero coloribus depictam.

Cum autem propriis viribus fisus argumenta vere

patria lyrico plectro concinit, non jam ambigitur de externo carminis habitu; paulo abstrusior et difficilior oritur quæstio, utrum in argumentis romanis vere romanus animo et sententiis judicandus sit. Quam quæstionem ut solveremus, lyrica Horatii carmina inter se vel cum Sermonibus contulimus, atque cum æqualium vel posterorum testimoniis pensitavimus; cumque intimos scriptoris cujusvis sensus et recondita conscientiæ alienæ penetralia scrutantibus non pauca incerta admodum et obscura remanere oporteat, ita rem omnem tractare studuimus, ut certa ab incertis discerneremus, in dubiisque eam statueremus opinionem quæ veri simillima videretur. Affirmare non dubitavimus Horatium, licet natalibus provincialem hominem, non aliter Romam amore prosecutum esse, ac si Romanus natus esset; adeo præteritam ejus gloriam admiratur, præsentibus commodis patrocinatur, atque fatali perennitati confidit. In politicis vero rebus, quantum ex ejus carminibus atque communi æqualium opinione conjicere licuit, is nobis visus est, qui prudenti ratione ductus potius quam ferventi studio abreptus, magis temporum condicioni quam propriis utilitatibus parens, amici atque admiratoris, non adulatoris, partes suscipiens, Augusti laudes ex animo cecinisset; ita ut communem suæ ætatis sententiam, communes, si velis, errores amplexus, neque liberæ rei publicæ oblitus, neque unius imperium perosus, haud secus ac Romanorum pars maxima, temporibus non sine dignitate cessisse videatur. Quemadmodum autem civis mediam quandam inter partes viam inivit, præteritæque libertatis memoriam cum præsentis imperii studio fovit, ita quoque philosophus eam sibi sapientiam ex Græco-

rum scriptis propriaque experientia paravit et aliis proposuit, quæ pugnantia conciliaret, fluxas Epicuri delicias asperioresque Zenonis spinas pariter effugeret, Epicureosque et Stoicos supra scholasticorum disputationes evectos in humana quadam agendi ratione conjungeret.

Jam pronum est quid ex dictis sequatur colligere. Sollicito Horatii ut et Vergilii Græcos imitandi studio factum est ut nova imitationis ratio, et ea quidem docta et artificiosa, romanis poetis recluderetur. Etsi lyricis carminibus nullam aliam laudem tribueremus, vel eo nomine digna essent in quæ curiose intueremur. Romanis acciderat tum ingenii poetici pauperiore vena, tum linguæ latinæ asperitate, ut non aliter quam Græcorum imitatione sensim et per gradus ad summum artis fastigium ascenderent. Quid vero ante augusteam ætatem pepererat necessarium illud imitandi studium? Alii, seu romanæ paupertatis tædio seu græcarum artium admiratione, velut romani ingenii transfugæ, immoderatius in græcorum exemplarium imitationem abierant; alii patriæ gloriæ studiosiores, quamvis romana sentire et romana loqui affectarent, non poterant quin romanis argumentis græcas sententias velut purpureos pannos assuerent. Illis indoles romana ita defecerat, ut præter sermonem nihil fere nisi græcum proderent; his vero ars illa deerat quæ transmarina cum patriis apte et æquabiliter consociaret : illos haud injuriose Græcos, hos bilingues diceres.

Cum igitur per Latium græcus amnis vel solus, vel identidem juxta romanum amnem, discretis aquis, fluxisset, restabat ut ex utroque fonte unum flumen effi-

ceretur ita græca cum romanis uno alveo volvens, ut ne diversam quidem originem suspicari liceret. Augusti demum tempore arta illa græcæ artis cum romano ingenio conjunctio et necessitudo apparuit; ut enim romani architecti in templis et theatris exstruendis romanam severitatem græcæ elegantiæ attemperare visi sunt, ita Vergilius et Horatius liberali æque ac docta imitatione poemata arte græca, spiritu vere romana condiderunt. Haud scio an perfectissimam artificii hujus imaginem poeta expresserit, cum aliud cogitans ad Mæcenatem scriberet :

> Vile potabis modicis Sabinum
> Cantharis, Græca quod ipse testa
> Conditum levi... (1)

Vas ipsum semper græcum est; liquor vero, etsi interdum ex atticis floribus expressus, ita in poetæ substantiam digestus est, ut romanus videatur. Nemo enim unquam sollertius exercuit artem illam legendi, quam tanto opere Lucilio Seneca commendat, ut « lecta concoquantur atque in vires et sanguinem transeant » (2); libenter crediderim Senecæ animo, dum hæc scriberet, obversatum esse Horatii exemplum; apud quem sententiarum origo prima latet, ut solum appareat opus vere horatianum, eximia venustate conspicuum, facetiis et gravitate feliciter temperatum. Illud fuit imitantis potius quam imitatoris opus, nec multum abest quin ea imitandi ratio ad æmulandi studium assurgat. Cum adeo libere scriptor aliquis in alienis vestigiis ingreditur, nonne decet eum in illo-

(1) *Carm.* I, 20, 1.
(2) *Epist.* LXXXIV.

rum numerum referre, qui proprio ingenio invenire et, ut ita dicam, e proprio penu haurire possint (1) ?

Id tamen non ita accipiendum est, quasi cum iis faciamus, qui præter modum horatianam artem admirati, romanum poetam Græcis parem judicare ausi sunt. Poeticam Græcorum virtutem illis fortasse ignorare licuit, qui, in græcis litteris hospites, divina illorum opera in vernaculos sermones prave translata legebant ; ex quo autem ad ipsa elegantissimæ artis monumenta aditus patuit, unanimi peritorum judicio comprobatum est, ut Parthenona architectis, ita lyricorum opera poetis ante oculos obversari, velut perfectissimæ pulchritudinis exemplaria quæ semper admirentur, interdum imitentur, nunquam adæquent. Igitur infra Græcos eam sedem teneat Horatius, quam sibi non æquo minus quam candido judicio affectavit, sedeatque

Proximus *his*, longo sed proximus intervallo (2).

Hoc ipsi erat in votis, cum a Mæcenate lyrici vatis nomen flagitaret; sed non parum laudi illi lyricæ defuturum intellexit, nisi vates vere romanus et esset et haberetur. Quamvis multa Græcis debuerit, tamen affirmare ausim perpaucos exstitisse poetas quorum carmina æque res præsentes designarent. Cum animo nobiscum reputamus in parvo illo carminum volumine non minus Italiæ quam Romæ, morum quam locorum, veteris rei

(1) Ita de præclaro Anglorum poeta judicat Guizot : « Milton était de ceux qui imitent quand il leur plaît, car ils inventent quand ils veulent, et ils inventent même en imitant ». (*Hist. de la civil. en France*, 18e leçon.)

(2) Verg., *Æn.*, v, 320.

publicæ quam nascentis imperii imaginem cerni, illorumque temporum animam ibi quodam modo vivere et spirare, non jam miramur quod Horatius monstraretur digito prætereuntium Romanæ fidicen lyræ.

Popularem illam lyrici vatis gloriam bene perspexit Ovidius, cum dixit :

> Et tenuit nostras numerosus Horatius aures,
> Dum ferit Ausonia carmina culta lyra (1).

Vix e vivis sublatus erat Horatius, cum Grammaticorum in scholis tractari, commentariis illustrari, a juventute lectitari cœptus est; testatur Juvenalis adeo suis temporibus illum scholasticorum manibus tritum, ut

> totus decolor esset
> Flaccus, et hæreret nigro fuligo Maroni (2).

Nonne meruit ut cujus patria studia æmulatus erat, illius fortunam apud posteros assequeretur? Ambo amici, ambo Romanæ gloriæ præcones, ille epico carmine, hic lyrico, diversa ratione, sed pari affectu Romæ imaginem depinxerunt; et si Flaccus, quæ est lyrici carminis natura reconditioris artificii et abstrusioris doctrinæ amantior, minus quam Vergilius popularibus suis acceptus est, haud minus certe doctis placuit semper et placebit.

(1) *Trist.* IV, 10, 49.
(2) *Sat.* VII, 226.

ERRATA

P. 21, l. 31, « ηυθεὶς » — *lege* « τιθεὶς ».
P. 41, l. 19, « liquidas, Baias » — *l.* « liquidas Baias, ».
P. 45, l. 12, « turi » — *l.* « ruri ».
P. 75, l. 23, « dilapsum » — *l.* « delapsum ».
P. 123, l. 14, « amiliæ » — *l.* « familiæ ».

INDEX

Paginæ.

PROŒMIUM. — *Materia et ordo hujus disputationis*..... 7

CAPUT I. — *Quid Horatius in lyricis carminibus Græcis debuerit*..... 11

I. Quare Græcos, vel in lyrica poesi, imitetur. — II. Quosnam potissimum sequatur. — III. Qua ratione, quidque mutuetur. — IV. Doctrinam græcam de diis. — V. Ornatus orationis. — VI. Metra lyrica.

CAPUT II. — *Quomodo in lyricis carminibus Romam et Italiam Horatius descripserit*..... 35

I. Quam describendi rationem adhibuerit. — II. Quomodo loca descripserit. — III. Quomodo mores : comitia, deorum cultum, romanum luxum, romanam domum expresserit.

CAPUT III. — *De Horatii in patriam amore*..... 52

I. Amor patriæ, præcipua Romanorum virtus; quæ provincialibus civibus patria; quid sit vere patriam amare. — II. Horatius avitæ Romanorum gloriæ admirator et præco. — III. Horatii in patriam studium, inter bella civilia; carmina ante Perusinum, ante et post Actiacum bellum scripta. — IV. Horatii in Romæ perennitatem fides. — V. Horatii gratus in Venusiam animus, loci patriam.

CAPUT IV. — *Qualis Horatius in politicis rebus versatus sit*..... 72

I. Hujus quæstionis momentum et difficultas; variæ de ea opiniones. — II. Horatius, primo Octavianis partibus invisus, deinde in Mæcenatis amicitiam re-

ceptus, tandem Augusti laudator. — III. Quænam rerum adjuncta laudes illas excusare videantur : publicus in Augustum favor, Brutianorum ad Augusti partes accessio, callidissima Augusti agendi et administrandi ratio, fidus et gratus Horatii vel inter Augusti laudes in Brutianos animus. — IV. Horatius suis carminibus Augusto adstipulatur, dum illius inimicos ad epicuream inertiam cohortatur, augusteas leges commendat, victorias celebrat. — V. Utrum venalis assentator fuerit, an sincerus laudator.

CAPUT V. — *De Horatii philosophia*..... 98

I. Num ad certam doctrinam referri possit.— II. Num varia fuerit pro vario tempore. — III. Num alia in lyricis carminibus, alia in Sermonibus. — IV. Quid romanum præ se ferat Horatii universa philosophandi ratio : tota ad utilitatem spectans, eclectica, Stoicorum et Epicureorum conciliatrix.

CONCLUSIO... 123

VIDI AC PERLEGI :

Gratianopoli, a. d. IV nonas januarias,
anno MDCCCXCII,

Facultatis litterarum decanus,
E. DUGIT.

TYPIS MANDETUR :

Academiæ gratianopolitanæ Rector,
G. BIZOS.

Lyon. — Imp. Emmanuel VITTE, rue Condé, 30.

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

Lh 9.293.10
Quid vere Romanum lyricis Horatii c
Widener Library 005150793
3 2044 085 202 760